

DISSERTATIO
DE
MIRACVLIS CHRISTI
TYPICIS

Von
Den vorbildlichen Wundern unsers
Heilandes.

PRAESIDE

IO. GEORGIO WALCHIO

THEOL. D. ET P. P. ORD. SERENISSIMOR. SAX. DVC. AC MARGRAVII
BRANDENBURG. ONOLDIN. A CONSILIIIS ECCLESIAST. ET CON-
SISTOR. CIVIVM IN HAC ACAD. MEINUNG. ET ONOLD.
INSPECTORE

PATRONO PRAECEPTORE AC HOSPITE SVMMA
PIETATE COLENDO

D. XXIX. APRILIS MDCCLXVII.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

AUCTOR

M. HEINRICVS THEOPHILVS NAZZIVS

PETROBURGENSIS.




oll. diss. A
27, 6

VIENNAE LITTERIS SCHILLIANIS.

(12)

a. CXXVII. 6.





SECTIO PRIOR
DE MIRACVLIS CHRISTI, GENERATIM
CONSIDERATIS.

§. I.

Veritatum, quæ præ aliis sunt insignes, de miraculis seruatoris optimi eorumque typica ratione tractationem quum instituere, mihi propositum sit, non est, quod prolixiozem argumenti huius, maxime fecundi, exhibeam explicationem; sed sufficiat, vt breuiter, præmissis vniuersalioribus quibusdam de indole miraculorum, quæ sequentibus lucem adferre possunt, primum de seruatoris miraculis generatim exponam; deinde vero de typica illorum disputem ratione atque inuestigata probataque sententia rectiori, quænam admiffæ fuerint opiniones erroneæ, simul enarrem. Generalia, quæ pro scopo meo præmittenda sunt, conceptus auctoris atque finis miraculorum determinatione absolui posse, videntur. Notio *miraculi* vt eo facilius indagetur, obseruandum est, per *naturam vniuersam* intelligi complexum essentiarum viriumque omnium, quæ competunt rebus contingentibus. Hinc mutationes *effectuum naturalium* nomine insigniuntur

A

tur

tur, quæ in illis habent rationem sufficientem, ipsis legibus mutationum, a Deo positis, conformiter per vires easdem determinatæ, quoniam ad omnem effectum et causa et modus agendi legitimus requiritur. Horum vero naturalium effectuum opposita quum sint effectus non naturales; hi autem ita comparati, vt vel in nulla entis contingentis natura rationem habeant, et *supernaturales* sint; vel tantum non in illius entis, in quo eueniunt, natura fundentur, hocque nomine sint *præternaturales*; euentus vero supernaturales *miracula* vocare, vsu receptum sit, patet, miracula consistere in eiusmodi effectibus, qui rationem non habent in essentia ac viribus rerum contingentium legibusque mutationum, ipsis præscriptis. Quum enim clarum sit, naturali, antea ita determinato, scilicet per naturam vniuersam, opponi effectum supernaturalem contradictorie; explicato isto adfirmatiue, huic characteres oppositos negatiue tribuere licuit. Ad miraculum igitur primum requiritur, vt superet vim naturæ vniuersæ nullæque res contingentes rationem illius in se contineant immediatam, quum alias euentus in mundo omnes essent supernaturales, ac per vim supernaturalem ad existentiam perduci deberent; deinde vero, vt ordini naturæ non respondeat, hocque nomine extra naturalem ordinem eueniat, prout iste a Deo constitutus est, siue ad corporum; siue ad spirituum vires respicias. Quæ quum ita sint, miraculum est euentus partim supernaturalis, vbi illud ad originem suam refertur; partim extraordinarius, quando modus agendi, quo id producit Deus, consideratur. Eam ob causam quum manifestum sit, respectum hunc supernaturalem ad miraculum esse necessarium, nullo modo eorum adprobari possunt sententiæ, a) qui

a) solide ac vberius de iisdem exponit, addita simul errorum discussione, summe ven., PRAESES *lexico phi-*

los. p. 2968. Conferatur quoque celeberrimus BILFINGERVS *dilucidat. sect. II. cap. V. §. 2.*

qui, neglecto isto, erroribus se tradiderunt, qui ad tria genera commode reuocari possunt. *Vel* enim, vt de recentioribus tantum dicam, explicite id negarunt, quum ex viribus naturalibus; ignotis tamen, prouenientes ac secundum leges naturæ determinatos euentus esse miracula, sibi persuaferint, hocque nomine ista cum prodigiis confuderint, cuius erroris defensores præter IULIUM CAESAREM VANINVM, b) BENED.SPINOZAM c) et THOMAM HOBBIUM, d)

A 2

sunt

b) dialogo LII.

c) *tr. theol. polit. cap. VI. p. 67.* pro euentibus habet miracula, qui secundum leges naturæ ignotas determinantur, ex quo patet, arbitrarium, illa haud esse aliquid supernaturale atque ab opinione vulgi dependere. Hinc tempore, quo omnia fere tenebris erant obfusa, euentus illi quidem habiti fuissent miracula; alia vero ætate contraria rei exstitisset ratio. Nec admittere potuit SPINOZA supernaturale quid, quum systema seriesque errorum, ex CARTESII de substantia definitione deriuata, id postularet; quæ tamen vt notissima non repetimus. Ad leges vero istas ignotas quod attinet, iam ab aliis obseruatum est, per distinctionem inter leges *notas* et *ignotas* omnem legum mutationum conceptum tolli. Nec, si ipsa hæc SPINOZAE notio adsumeretur, a captu plebis eiusque iudicio dependeret miraculum; sed probari prius deberet, nulli vnquam eas notas fuisse; nec fore, vt in posterum innotescant istæ mutationum leges, si euentus adpellari deberet miraculum. Legi de eo

meretur vir immortalis memoriæ, IO. FRANCISCVS BVDDEVS in scripto egregio *de atheismo et superstitione cap. VII. §. 5.* add. HEIDEGGERVM *exercit. bibl. tom. I. diff. 10.* GERDESIVM *diff. de miraculis contra tr. theol. polit. cap. VI.* aliosque, quos recenset FABRICIVS *syllabo script. de verit. relig. christ. cap. XXXIII.* Vnde quoque liquet, qualem miraculorum, in scriptura narratorum, se gesserit interpretem Spinoza, de quo egit BILFINGERVS *diff. de Bened. Spinozæ methodo, explicandi scripturam.*

d) eadem fere ratione, qua Spinoza, *leuiath. cap. XXXVII.* de miraculis sentit. Spectat huc quoque auctor fabulæ de *seuerambibus p. 133.* miracula vocans effectus causarum naturalium, quum secundum leges naturæ determinatas peragantur. Illudere istum miraculis Mosis eiusque diuinæ missioni; præsertim vero pœnam istam miraculosam, qua cœtus iste seditiosus Corachi etc. *numer. XVI.* iusto Dei iudicio adfectus fuit, odio et ludibrio exposuisse, animaduertit DANIEL GODOFR. WERNERVS *diff.*

sunt: IO. LOCKIVS, e) NEHEM. GREW f) et alii; *vel* effectum præternaturalem, per quasdam vires naturales productum, pro miraculo habuerunt, vt IO. CLERICVS, g) SAM. CHANDLERVS, b) GVIL. FLEETWOODVS i) et SAM. CLARCKIVS; k) *vel* denique, quod sæpe numero factum esse, inter omnes constat, meras præstigias; siue effectus, artibus ad fallendos sensus aptis, productos, miraculorum nomine adpellarunt, quo et ea pertinent, quæ inter gentes edita esse,

diff. de interitu miraculoso Corachi etc. add. MORHOFIVM *polyb. libr. I. cap. VIII. p. 75.* et cel. HEYMANNVNVM *schediasm. de libr. anonym. et pseudonym. cap. III. §. 2. p. 161.*

e) *oper. posthum. vol. II. p. 451.* asserit, miracula esse insolitos naturales euentus. Nec tamen eum sibi metipso constare, obseruauit, qui eum oppugnat, SAM. CHANDLERVS libro: *a discourse of use and nature of miracles*, translato a celeb. CHRIST. WOLLIO, dum id, quod sit supra vim rerum creatarum omnium, miraculum nominasse illum, ostendit.

f) *a discourse of the vniuers. etc.* siue *cosmologia sacra*, p. 196. vbi per effectum extraordinarium causæ naturalis ignotæ miraculum explicat. In eadem quoque classe, præter alios, locum occupare HENR. CORN. AGRIPPAM, ostendit ENGELKENIVS *diff. de miraculis.* Vt enim nugas taceam in libro *de vanitate scient.* propositas, ostendere vult, *de occulta philosophia cap. VI.* quo modo duce amore, spe et fide anima humana scandat in diuinam et ad miracula perpetranda effi-

ciatur idonea, ita vt homines, virtutibus istis instructi, possint singulares morbos curare, mortuos ad vitam reuocare cet.

g) *oper. philos. tom. II. pneumatol. sect. III. cap. 8. §. 2.* requirit tantum ad miraculum, vt id hominis vires superet.

b) qui libro iam indicato non solum definitionem Lockii posteriorem, modo adductam, non admittit, quum non necesse sit, vt superet naturam vniuersam; nec demonstrari possit, non sufficere vires rerum creatarum ad producendos huiusmodi effectus; sed et hoc tantum requirit, vt transgrediatur vires eius, qui efficit miraculum; seu præternaturale quid sit: hinc in relatione effectus ad causam tantum positum. Vnde adparet, illum loco *supernaturalis* posuisse *præternaturale*; tum a miraculorum perpetratione Deum, qui nihil edere potest, quod superet vires eius, exclusisse.

i) *in essay vpon miracles.*

k) *traité de l'existence et des attributs de Dieu tom. II. cap. 19.*

esse, ab earum scriptoribus referuntur, ita comparata, vt vel plane nullam fidem præ se habeant; vel meræ sint res naturales; vel doli fraudesque adhibitæ luculenter adpareant, quo illa præcipue spectant, de quibus gloriatur aseeclæ pontificis Romani.

§. II.

Cum definitione miraculi, quam nunc propofui, merito coniungo diuisionem eamque triplicem. Miracula enim considerari possunt primo ratione *modi*, quem Deus adhibet, quando aliquid ea ratione efficit, vt ab ordine naturali discedat. Sic miracula, quæ in scriptura sacra narrantur, diuersum modum produnt, quum deus vel vires rerum naturalium; siue caussarum secundarum, ab operatione suspendit, cuiusmodi exempla ignis in fornace Babylonica *Dan.* III, 12, et ora leonum in spelunca, VI, 16. exhibent; vel vires supra mensuram naturalem euexit atque auxit, vti contigit in exigua portione farinæ et olei viduæ Zarthanæ, *1 Reg.* XVII, 12. sq. ac in panibus et piscibus, quibus Christus aliquot hominum millia aliquoties cibauit, *Matth.* XIV, 16. *Io.* VI, 5. vel effectus sine vllis; aut idoneis mediis produxit, quod adparet ex sustentatione Mosis sine vlllo cibo et potu in monte Sinai, *Exod.* XXIV, 8. XXXIV, 28. ac sanatione ægrotorum sine vlllo medicamine; vel naturam rei mutauit, vti mutata est aqua in sanguinem, *Exod.* VII, 20. et in vinum, *1 Io.* II, 1. ad quas species et reliquæ facile referri possunt. 1) Deinde miracula expendenda sunt ratione *rerum*, circa quas illa eueniunt, ac pro harum diuersitate diuidi possunt in miracula regni naturæ ac regni gratiæ. Illa spectant ad res, quæ ad regnum naturæ pertinent; hæc autem ad res, quas regnum gratiæ sibi vindicat, fiuntque, quando Deus extra ordinem salutis constitutum operatur,

Λ 3

vti

1) vid. celeberrimi IOACH. LAN- GII *œconomiam salutis euangel.* p. 104.

vti contigit vocatio magorum ex oriente ac conuersio apostoli Pauli. Denique miracula ratione *causæ* ita inter se differunt, vt alia Deus ipse sine causa instrumentali ediderit; in aliis vero certos ministros, tanquam instrumenta, adhibuerit.

§. III

Præmissa miraculorum et definitione et diuisione, de eorum auctore annexisque pauca dicenda sunt. Euentus naturales omnes quum partes mundi, hocque nomine omnino contingentes sint, opposita eorum vt possibilia sint, necesse est; quia autem oppositos istis euentus miracula esse, probatum est, et hæc possibilitate interna; seu absoluta gaudere maxima, dubitatione caret. Externam; seu hypotheticam, quam vocant, eorum possibilitatem quod attinet, quum vel prorsus nullam; vel minus sufficientem eorum rationem contineant res contingentes; Deus vero ens sit necessarium et perfectissimum, cui inter summas perfectiones nec eminentis vis deest, omnia, quæ fieri possunt, hincque et hos effectus, maxime possibiles et supra vires rerum naturalium; siue contingentium, positos producendi; seu immediate operandi, inde omnino efficitur, miracula esse possibilia et hypothetice; seu in nexu cum Deo, hancque ob rem Deum solum merito eorum auctorem ac causam efficientem ipsaque miracula immediatos illius effectus vocari, quod etiam scriptura sacra suis testimoniis confirmat, *psalm.* LXXII, 18. LXXVII, 15. XCVIII, 1. CXV, 3. CXXXV, 6. CXXXVI, 4. *Io.* III, 2. Si autem solus Deus facultatem habet, miracula edendi, sequitur ex eo, vt nullus mortaliū ad ista perpetranda valeat. Multa quidem in sacro codice relata legimus de miraculis prophetarum atque apostolorum; illa autem minus id infringunt, quod de Deo, solo miraculorum auctore, adfirmaui. Sancti enim isti vi-

ri non efficientes; sed tantum instrumentales causæ miraculorum fuerunt, ita ut quum Deus pro sapientia sua effectus extraordinarios vel immediate; vel mediate voluerit producere, interdum instrumentis quibusdam sit usus.

§. IV.

Nec angeli, siue sint boni; siue mali, miracula perpetrare possunt, quia ista posita sunt supra vires omnium rerum creatarum, ad quarum numerum et hi spiritus referendi sunt. Minus itaque firmis nititur argumentis sententia, in quam ingressi sunt: SAM. CLARCKIVS, *m*) IO. CLERICVS, *n*) NIC. MALEBRANCHIVS *o*) ceterique, geniis istis facultatem, miracula edendi, tribuentes, paucis quibusdam Deo soli relictis, eam præcipue ob causam, quia ad ista non semper requiratur potestas infinita, nosque limites ignoremus, quibus potentia horum spirituum circumscripta sit. Quamuis enim eorum limites non accurate sciamus; id tamen satis cognitum est, quod sint creaturæ finitæ ac per consequens facultate, quæ infinita esse debet, careant, miracula edendi. Nihilo minus quum certiores nos faciat testimonium diuinum, angelos præditos esse non solum singulari amplexu sui ipsorum ac rerum aliarum cognitione, 2 Sam. XIV, 20, qua tamen mali abutuntur ad neccendas fraudes pro sua inimicitia erga Deum atque homines,

m) l. c. Pluribus de eo ac reliquis commentatus est celeberrimus IO. LAURENTIVS MOSHEMIVS in notis ad Radulphi Cudworthi Systema intellect. p. 865. seqq.

n) pneumatol. sect. III. c. VIII. et diff. de mirac. tractatui de incredulitate addita.

o) in traité de la nature et de la

grace, discours I. part. I. contendit, Deum angelis in Israelitas imperium contulisse, ac si iis placuerit, edere miracula, pro eorum lubitu ipsum se determinasse. Refutat eum ANT. ARNALDV S *diff. sur la maniere, dont Dieu a fait les frequens miracles de l'ancienne loi par le ministère des anges.*

mines, *Iacob.* II, 19. *Matth.* IV, 3. *Ephes.* VI, 12. *2 Cor.* XI, 3. *Io.* VIII, 44, sed etiam potentia insigni, in alias substantias creatas extra se agendi, *2 Petr.* II, 11. *Iob.* I. II, 7. *Gen.* XIX, 10. 11. *Matth.* XXVIII, 2, attamen circumscripta, ita, vt dependeant a voluntate diuina, quemadmodum hoc præsertim de malis angelis constat, *Iob.* I, 12. *Matth.* IV, 5. 8. VIII, 29. 31, merito ex eo colligimus, licet ad miracula vsque vis eorum se non extendat; tales tamen effectus producere illos posse, qui vires humanas superant; siue ea, quæ nostris; non autem naturæ viribus, sunt maiora, hacque de causa rectius *mirabilia* appellantur. Probant hoc cum dicta, in sacris litteris occurrentia, iure de effectibus mirabilibus malorum geniorum explicanda; non vero solum de præstigiis atque fraudibus, qualem sententiam, priori contrariam, quam ante notauimus, amplexi sunt viri quidam doctissimi istamque oppugnarunt; tum exempla itidem in diuino codice obuia. Quod ad testimonia attinet, *Deut.* XIII, 1. sqq. dicitur, quod si exstiterint homines, diuinam mentientes missionem; ad illam vero falsamque doctrinam probandam ediderint admiranda; nec Deum id prohibiturum esse, vt pateret: num alii doctrinam sanam, tot miraculis confirmatam, postposituri essent erroribus ob effectus quosdam admirandos. Vbi ex criterio, quod commendatur, ab ipsius doctrinæ ratione desumpto et superuacaneo, si sermo esset de fallaciis ac fraudibus; nec non ex fine indicato, exploratione nempe a Deo intenta, quæ ad homines simplices hebetiorisque ingenii tantum pertinuisset, aliisque rationibus adparet, de factis dolisque diabolicis sermonem esse. Nec dubito, euentus, qui prænuntiantur et a saluatore optimo, *Matth.* XXIV, 24. et a Paulo, *2 Thess.* II, 9. seq. ad eandem classem referri debere, partim ob nomina, auctoribus prodigiorum, vt ministris, tributa, τῶν ψευδοχρίστων nimirum ac ψευδοπροφητῶν, propter originem, a patre ψευ-

ψευδῶν, vt caussa, deriuandam; partim ob ipforum effectuum rationem: insignem eorum vim, quam indicat christus; inefficaciorem tamen; quam, vt decipiantur fideles, singulari spiritus diuini gratia præmuniti; nec agitati amplius a ventis doctrinæ, id quod de infidelibus æque ac fidelibus dici deberet, si fraudes solummodo humanæ intelligerentur, inprimis quum isti his sæpe longe callidiores et feliciores in componendis detegendisque fraudibus se præstent, *Luc. XVI, 8.* Nec eam ob rem tantam apud eos prodehere possent efficaciam huiusmodi doli; quod tamen intendit saluator.

§. V.

Memoratum effatum vero Pauli diserte significat, hominem peccati v. 3. hostem Dei v. 4. nec legibus diuinis se regi, patientem v. 8, secundum diaboli operationes manifestatum iri, vi magna eiusque ope proditurum esse signa et τέρατα ψεύδης, et ob originem eandem et finem, corroboranda nempe mendacia, sic vocata, v. 11. quæ si conferantur cum *apoc. XIII, 13, 14*, meras præstigias agyrtarumque fallacias hic admittere, non videtur licere. Quamuis igitur elocis his eluceat, operationes memoratas minime de præstigiis humanis solis sumendas esse; adparet tamen simul, ipsa hæc mirabilia commode fraudes dolosque adpellari posse, cum ob ortum, quem trahunt a deceptore inueterato, *Io. VIII, 44*, tum ob modos, quibus sæpissime ista conficit, atque ob finem, quum ad corrumpendos et defraudandos homines spectant; deinde nec omnes hominum præstigias prorsus excludi, quia et saluatoris et Paulinæ prædictionis impletiones abunde id efficiunt. Præterea potestatis huius diabolicæ probationem suppeditant exempla, quæ narrantur in scriptura sacra. Vt de iis taceam, quæ de Iobo diuinis litteris sunt consignata, pro uoco præsertim ad obsessorum miseras conditiones, tam-

B

quam

quam luculenta testimonia de insigni diaboli facultate, in corporibus humanis mutationes, maxime violentas, producendi, quemadmodum illi adpellantur δαιμονιζόμενοι, atque expresse distinguuntur a σεληνιαζόμενοις, *Matth. IV, 24, Luc. VIII, 27.* Addo magos, quibus pessimus genius veluti ministris suis usus est, qualesue se præbuerunt Simon ille, *act. VIII, 9. 10.* p) pythonissa Endorea q) ac Bar Iesu, *act. XIII, 6. sqq.* meritoque adfirmo, omnia hæc satis iam probare, quod mali angeli habeant singularem facultatem atque vim, producendi effectus stupendos atque mirabiles. Ipsa tamen scripturæ loca, quæ huius eorum potentiæ fidem faciunt, certiores quoque nos reddunt æque ac res ipsa de istius limitibus, ac monstrant, usum et adplicationem istius vis dependere a summo rerum gubernatore, Deo benignissimo, cuius perfectionibus confisi, bono esse animo ac credere debemus, eum non permissurum esse abusum virium, ipsis tributarum, ad euertenda diuina consilia eaque impedienda, quæ spectant ad gloriam Dei,

p) quem fictis prodigiis effecisse, ut a Samariæ gente haberetur ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη, testatur Lucas *act. VIII, 10*, licet prodigia, quæ pseudo-CLEMENS atque NICEPHORVS narrant, fabulosa sint. Conferatur summe ven. PRAESES in *hist. eccl. noui test. secul. 1. cap. 4. sect. 1. §. 5.*

q) operationem istius feminæ diabolicam fuisse, asseruit præter alios BVDDEVS in *hist. eccl. vet. test. tom. II p. 306.* et eruditissime defendit in *diss. epistol. de pythonissa Endorea*, contra TVRRETINVM, qui *diss. pro verit. relig. christianæ* feminam hanc fucum fecisse Saulo, arbitratus est. Facta autem magorum Aegyptiacorum ad meras fraudes atque præstigias re-

ferri, æquius esse videtur, quum et ipsorum factorum, circumstantiarum ac finium ratio, atque impotentia ad imitanda reliqua, quæ sequebantur, miracula Mosis, ipsumque spiritus sancti effatum id comprobant. Ita sentiunt: IO. GVSTAV. REINBECKIVS *meditat. ad August. confession. XLIII. part. IV. p. 136.* IAC SERCESIVS *tr. de miraculis: IO. PHIL. CONRAD. NADIVS disquisitione de מַסְמַחֵם eorumque operibus*, et ex antiquioribus PHILO in *vita Mosis libr. I. p. 616.* IOSEPHVS *antiq. iudaic. libr. II. cap. 13. §. 3.* alique, quos laudat vir celeberrimus CHRIST. AVG. HEVMANNVS *diss. de pseudo-thaumaturgis Pharaonis.*

Dei cultumque ipsius ac religionem, qua nihil prius: nihil antiquius mortalibus esse potest. Vnde consequitur *primum*: si in magni momenti casu miracula edere, ipsi placuerit, vel eum non concessurum esse, vt oppositis illis quilibuscunque effectibus disturbetur opera eius ac imminuatur honor; vel si eos permiserit sapientissime; ita tamen illos fore comparatos, vt facile a magnis illis et diuinis operibus dignosci possint: *deinde* rationem distinctionis ipsam; seu discrimen in eo quæri debere: num supernaturales sint effectus illi ac recedant a legibus naturæ; nec ne? de quo supra iam exposui.

§. VI.

De fine denique miraculorum, et vltimo et intermedio, quædam sunt addenda. Gubernatio diuina *ordinaria* consistit in determinatione mutationum singularum rerum creatarum, hincque et præscriptione legum; seu ordinis naturæ atque nexus eorum, quæ simul sunt seque excipiunt, ordinatione sapientissima absoluitur. Distinguitur ab illa gubernatio *extraordinaria*; seu miraculorum perpetratio, hocque discrimen facile patet. Vtraque vero quum immensas Dei demonstret perfectiones, omnipotentiam bonitatemque summam gubernatoris summi, in combinatione mediorem finiumque ad promouendam creaturarum felicitatem maximam eamque possibilem, atque ex miraculis virtutes istæ diuinæ infinitæ agnoscantur, patet, finem miraculorum vltimum esse gloriam Dei, gubernatoris huius vniuersi. Quum vero et naturales et supernaturales euentus parem virtutem declarant, quia alterum altero Deo esse difficilius, haud adfirmandum est, sique miracula fiunt, adesse ratio debet, ex qua adpareat, magis ac melius obtineri finem vltimum per ista, quam si euentus naturales facti essent, hæc alia esse nequit, nisi perfectio felicitasque creaturarum, fini illi vltimo inseruiens, quoniam ex il-

la plenius, certius ardentiusque diuinæ cognoscuntur atque elucescunt perfectiones. Positis itaque duobus euentibus, naturali ac supernaturali, ita comparatis, vt per priorem vel prorsus non; vel non æque bene felicitas ista obtineri queat, hincque posterior longe præstet, postulant eum et sapientia et bonitas summa gubernatoris, fiuntque merito miracula, eorumque omnium finis intermedius est felicitas creaturarum rerum earumque perfectio. Euentus eiusmodi in rebus naturæ, quæ a necessitate dependent, locum non habent, quia illæ ab initio a Deo ita constitutæ sunt, vt emendatione extraordinaria non egeant; nec ob defectum rationis ex motiuis gloriæ diuinæ se determinare; seu illam illustrare possunt; ex hoc autem sequitur, ob perfectionem necessitatemque regni naturæ non fieri miracula. *r*) Aliter res se habet cum gratiæ regni ciuibus, præsertim hominibus, qui, vt entia moraliter agentia, quum in eiusmodi statum inciderint, vt emendatione supernaturali opus habuerint eiusque patefactione, ad hoc adhibita sunt miracula, hæcque vt bonitatem ac sapientiam declararunt; ita ob necessitatem et perfectionem gratiæ regni euenerunt. Placuit itaque Deo, hominibus corruptis, insufficiente naturæ lumine, medium restaurandæ vnionis manifestare. Vt vero origo huius reuelationis diuinæ certo constaret; ad hoc autem quum haud sufficerent criteria naturalia, addidit supernaturalia, quæ testimonium reuelationis diuinæ exhiberent reale. Hinc ipsa Dei reuelatio, in scriptura sacra contenta ac cum eius operationibus immediatis connexa, nos docet, finem miraculorum generalem esse ob signationem veritatum reuelatarum, id quod probant et ea loca, vbi constitutio legatorum diuinorum externa ad obeundum officium, nuntiandi veritates ignotas; scitu tamen necessarias, narratur ac dicitur, illam

r) egregie et pluribus hac de re RVS in *dilucidat. sect. II. cap. 5. P. commentatus est* cel. BILFINGE- 219. sqq.

illam in confirmatione, miraculis ac vaticiniis facta, constituisse, *exod.* IV, 5, 8. *num.* XVI, 28. et illa, quibus finem hunc obtentum fuisse, legimus, *exod.* XIV, 31. *1 reg.* XVII, 31. et ea denique, vbi σημεῖα vocantur, finem istum luculenter significantia, media nimirum ea esse, quæ demonstrent, veritates annuntiatas a Deo originem trahere.

§. VII.

Finis huius miraculorum determinatio hæc suppediat consecraria: I) quoque plures: quo meliores obtinentur fines; eo maiora esse miracula: II) pro necessitatum regni gratiæ ratione vel plura; vel pauciora a Deo patrari miracula in regno naturæ, non ad huius defectum suppleendum; sed, quæ in illo fiunt, ad regnum gratiæ spectant. s) Vnde patet, tum, condito isto regno; seu instituta atque erecta gratiæ oeconomia, ad illam amplificandam ac corroborandam liberalius a Deo facta esse miracula, quorum triplex potissimum constituitur periodus: quum, lata per Mo- sen lege, stabilita ac confirmata fuerit inter Israelitas religio: instituta post hæc ecclesiæ reformatione, quum multum ab idololatriis ei adlatum fuisset detrimentum: sub initium denique nouæ œconomix, innumeris miraculis, a iesu seruatore et propter eum factis, conspicuæ. Igitur in temeritatis crimen incurrunt, qui noua miracula expectant, quum finis illorum, quoad plurimam partem, obtentus est

B 3

et

s) hinc quoque est, quod quum mutationes omnes in regno gratiæ a vi supernaturali, operationibus nempe spiritus sancti, proueniant, regnum gratiæ respectu naturæ regni series miraculorum dici possit; quum vero ipsæ hæ mutationes simili quodam modo succedant et leges obseruentur, quæ salutis ordinem con-

stituunt; ex solum mutationes miraculorum nomine insigniuntur, vbi ipsæ hæ leges non obseruantur. Sic conuersio quæcunque quum in relatione ad naturæ regnum miraculum sit; tale erit in regno gratiæ, si suspenso eius ordine efficiatur, qualem diui Pauli exemplum nobis sistit.

et certa de iis, quæ facta olim sunt, persuasio eundem, ac noua miracula, producere potest effectum, ac paucissimi supersunt casus, in quibus emendatione extraordinaria opus sit: III) miracula veritatem doctrinæ; hanc vero genuinam indolem miraculorum probare. Horum enim finis specialis veritatum reuelatarum confirmatio quum sit; soli vero Deo, eorum auctori, doctrinæ falsæ vt adferat testimonium, impossibile, sequitur, omnem doctrinam, miraculis obfignatam, veram ac diuinæ esse originis, quia alias nec ob promouendam gratiæ regni perfectionem perpetrarentur; nec homines crimen essent commissuri, si falsa crederent, quum nuntio ipsius Dei, testimonium reale adferenti, præbeant adsensum. Firmum quoque est, quod vera doctrina genuinam miraculorum indolem patefaciat. Quum enim miraculorum falsorum Deus auctor esse non possit, patet, miracula, cum vera doctrina coniuncta, veritatis notam habere; quamuis doctrina sola ad id haud sufficiat, vt miracula vera a falsis distinguantur: legatorum diuinorum characteres externos fuisse et rerum ignotarum, præsertim futurarum, manifestationem; seu vaticinia, et miraculorum patratiōem, quæ duo vim diuinam, per illos operantem, et gratiam demonstrabant atque externam etiam constituebant ordinationem ad suscipiendas officii partes, in eo potissimum positas, vt nuntium de instauranda hominum felicitate, peculiariaque decreta diuina circa euentus futuros perferrent.

§. VIII.

Expositis iam hisce generalioribus, progrediendum est ad specialio rem de miraculis iesu tractationem, e quibus duplex conficitur argumentum, ad quod omnis hæc doctrina tendit: primo, iesum Nazarenum vere fuisse legatum diuinum; seu prophetam: deinde esse illum prophetarum maximum, verum videlicet messiam. Illius probatio
omnis

omnis eo redit, vt demonstratur, instructum fuisse iesum duplici illo caractere prophético, de quo §. VII. exposui. Ad alterum caracterem quod attinet, necessaria erat testificatio partæ a christo salutis, sique merito propter alias rationes ante ponimus, eum seruatorem fuisse promissum, hæc a nemine certior fieri poterat; quam ab ipso mediatore, fœderis diuini, cum hominibus per ipsum denuo initi, optime conscio iureque prædico, vt felicitatis, per illud hominibus adquisitæ, adplicationem legibus sanciret. Præterea, probant, iesum prophetam fuisse, cum testimonia sacrarum litterarum et veteris testamenti, quæ illum talem futurum esse, promiserunt, *deut.* XVIII, 18. *Maleach.* III, 1. *Ez.* XLII, 1. *L.* 4. LXI, 1. et noui fœderis, tam iis in locis, quæ de diuina eius ad munus hoc obeundum inauguratione sole mni ac vocatione exponunt, *Matth.* III, 17. *Io.* XII, 28. quam in illis oraculis, quæ explicite declarant, *propheta* nomen tributum fuisse iesu Nazareno, *Io.* VI, 14. *Matth.* XXI, 11. *Luc.* VII, 16. tum ipsa huius muneris administratio, quorum et ea pertinent loca, quibus publici eius sermones enarrantur, ad explicandam de hominum cum Deo coniunctione, per ipsum procuranda, doctrinam directi; et ea præfertim, quæ prædictionum, ab ipso factarum, mentionem faciunt huncque caracterem euincunt, earumque spectantium ad propriam eius personam, *Luc.* XIII, 33. 34. *Matth.* XVI, 21. XX, 18. 19. XXVI, 25. 31. 34. *Io.* XIV, 29. ad apostolorum fata, *Matth.* X, 17. 20. *actor.* I, 8. *Luc.* XXI, 12. 14. *Io.* XVI, 4. ad iudicia diuina, hostibus veritatis Iudæis euentura, *Luc.* XXI, 22. 24. præcipue ad destructionem vrbs Hierosolymæ pertinentia, quum ea, quæ ratione temporis, *Matth.* XXIV, 34. *Luc.* XXI, 32. modi excidii, XIX, 43. ipsius templi, *Matth.* XXIV, 5. miseriæque connexæ prædixerat iesus, admodum accurate, testante IOSEPHO, impleta sunt, quæ omnia donum eius propheticum satis probant. Ad alterum
cara-

caracterem, tamquam confirmationem miraculorum necessariam, quod attinet, omnia, quæ de iesu narrantur, miracula duplicia sunt, quum vel ipsius gratia, vt declararetur, eum esse re ipsa talem, qualem se esse, dicebat, a patre facta sunt; vel ab ipso edita, de quibus et hic solum sermo est. Vt vero ex iis concludere liceat, ipsum verum fuisse prophetam, de eorum veritate breuiter dislerendum erit. Veritatis huius duplex est respectus, quum vel considerari possint, quatenus vt facta cum relationibus, quæ de ipsis existant, conueniunt; seu prout veritate *historica* gaudent; vel quatenus notis verorum miraculorum prædita; seu *metaphysice* vera sunt, quum vtraque veritas, salua conclusione ex illis deriuanda, separari haud queat. Prior enim, haud demonstrata posteriore, quatenus vt facta nuda spectantur, concedi potest ab aduersariis, licet, malas artes: effectus naturales extraordinarios et præstigias miracula ista fuisse, pronuntient; posterior vero, absente priori, per se euanescit.

§. IX.

Re vera igitur facta esse christi miracula, eorumque narrationes, ab euangelistis institutas, omni fide dignas esse, nobis persuasum habere possumus, si, curatius inuestigata veritatis historicæ indole, adplicationem faciamus ad facta illa supernaturalia. Quum vero tota hæc certitudo et conditione ipsius facti, quod narratur, et legitima testium, qui illud narrant, conditione; siue argumentis internis ex ipsa re, et externis, ex aliorum adfirmatione desumptis, nitatur; sequitur, vt, vbi hæc rite comparata sint, summa adfit fides *historica*. *t)* Quod ad facti ipsius rationem adti-

t) de ipsis argumentis pro fide *historica* vberius ac solide exponunt: IO. EISENHARTVS *comment. de fide histor.* IACOB. PERIZONIUS *orat.*

adinet, requiritur cum, vt possibile sit omnique careat repugnancia; quo tamen non significatur, perspectum nobis esse debere ortum ac modum productionis rei, id quod distinctam poscit cognitionem, quæ ob limites cognitionis nostræ multis in rebus deest; qui autem eam ob causam et possibilitatem earum negaret, imprudentiæ manifestæ notam sibi inureret; tum, vt probabilitatem habeat; seu rationem quamdam facti contineant circumstantiæ: consensus et nexus eorum pateat, quæ factum illud et antecessisse et excepisse, notum est; in casibus autem denique similibus similia contigerint. Criteria hæc in naturalibus pariter, ac supernaturalibus factis et euentibus inueniri eorumque inuestigationem institui debere, manifestum est, quum vtrique euentus sint facta, et similia similis sit ratio; nec vlli supernaturales de virtutibus diuinis veritati contradicere queant. Nec sufficeret itaque, si ad remouendam hanc disquisitionem; vel omissa illa, prouocaretur ad omnipotentiam diuinam, venditando effectum quemdam pro miraculo, quum illa parem in modum infinita sit et illimitata Dei maneat perfectio, quamuis impossibilia ad existentiam perducere haud possit. Quando igitur disputatur respectu miraculorum: quænam sint circumstantiæ, horum factorum rationem continentes? adparet ex eis, quæ §. VI. obseruavi, in causa finali illam quærendam esse. Quod si enim refertur nobis, quod visum fuerit benignitati diuinæ, promouere felicitatem hominum reuelatione immediata rerum summe necessariarum, ipsique reue-

orat. de fide historic. IO. GVILIANVS
schediasmat. de fide histor. præmisso
eiusdem historiae æræ christian. ADAM.
RECHENBERGIVS *dissertat. histori-*
co-politic. part. II. p. 680. et præcipue
vix summe venerandus SIGISM. IAC.

BAVMGARTEN, præceptor pie colendus, in *præfatione tom. II. der allgemeinen Weltgeschichte* et in *prolegom. part. I. des Auszugs der Kirchengeschichte.*

C

reuelationi fidem facere per miracula, tunc adfunt istæ circumstantiæ, et maxime probabile est, Deum talia edidisse. Vbi porro series factorum, quæ illa supernaturalia antecessisse et consecuta esse, referuntur, ita cum istis connexa deprehendatur, vt vel hæc concedere; vel omnem eorum complexum negare, ac historias in somnia fabulasque mutare nos oporteat, denuo summe probabilia erunt facta ista. Quum denique eadem causa finalis agnoscat idemque factorum nexus; seu similes extiterint casus, similia quoque contigisse, maxima cum probabilitate concluditur.

§. X.

Hæc si ad narrationes de miraculis iesu adplicantur, argumentis internis eas firmissime inniti, cuique patebit. Nam vt de possibilitate taceam, iisdem cum reliquis communi ac supra probata, summa eorum probabilitas elucescit. Narratur enim primo, Deum summo erga homines amore impulsam eorumque secum coniunctionem, summam mortalium felicitatem, procuraturum, medium vnionis huius ignotum; quod tamen manifestatum iri, promiserat, reuelasse per iesum; vt vero diuina huius nuntii auctoritas patet fieret, et quidem signis, ad id aptissimis ideoque iam antea a Deo constitutis, eumque in finem sub iis circumstantiis, adhibitis nimirum miraculis, iesum miracula edidisse. Quæ circumstantiæ si considerentur, nescio, quid probabilius euadat miraculis, a iesu factis. Deinde omnes christianorum res gestæ ac religionis christianæ et ortus et progressus, miracula iesu consecuti, si eiusmodi cum illis nexum habent, vt ex istis tantum intelligi queant; separati vero ab iis mera euadant ænigmata: immo manifestæ fictiones, sequitur, vt, si euentus rerum christianarum sint veri, necessario et miracula esse debeant vera. Concluditur enim sic ab eo, quod ratione nititur, ad rationem. Perpendantur itaque

itaque facta hæc eorumque cum miraculis christi nexus. Narratur enim, viros quosdam ex plebe alicui in disciplinam se tradidisse, eiusque professos esse doctrinam, doctrinis atque opinionibus illius temporis e diametro oppositam: proceres porro atque sagaciores non solum ei non inhæsisse; sed et auctorem illius vna cum sectatoribus vexasse; hoc autem non obstante, eos nec ciuibus solum; sed et aliis gentibus, vt subscriberent doctrinæ illi, persuadere conatos esse ac felices fuisse in tanto reformationis opere suscepto, duobus præsertim mediis: altero, vt officia inculcarent, quæ cuique incumberent de agnoscendo eorum doctore pro illo, quem se esse dixerat, et de profitenda doctrina, cupiditatibus prauis ingratißima ac tunc temporis periculosißima; siue concionibus: altero, vt prædicationem, quæ artificiosa non esse potuit, ab hominibus, artis plane ignaris, profecta, miraculis multis confirmarent, tantæ splendoris, vt quidam ex iis dii haberentur, *act.* XIV, 11. nec ab hostibus miracula illa negarentur, *act.* IV, 16. Constat præterea, eos, his mediis vsos, fere innumeros sibi comparasse sectatores, hosque iisdem mediis, licet ista parcius sensim tempore posteriori exsisterent, obsignatis insimul concionibus morte grauißima pariter ac ab apostolis, frustra obnitentibus omni studio hostibus, id demum effecisse, vt præterlapso CCC annorum spatio, totus fere terrarum orbis doctrinam apostolicam probaret ac religioni nomen daret. Miracula certe essent quæuis hæc narrata, si sine miraculis euenissent; vero autem maxime similia euadent, in se considerata, si eorum cum miraculis christi nexum consideremus. Refertur enim, iesum innumera et magna patrasse eiusmodi opera atque istis vsus esse, vt eorum spectatores inde, illum esse legatum diuinum, cognoscerent et doctrinam eius probarent, et licet omnes de veritate factorum consentirent; apud paucos tamen finem hunc obtinuis-

se, ceteris omnibus propter præiudicia ac praua mentis studia aduersantibus: iesum demum, ab hostibus interfectum, resurrexisse ac discipulis timidis mandasse, vt doctrinam, tantis miraculis ab eo confirmatam, nuntiarent, data simul potestate et facto promisso, eos paria: immo maiora opera esse edituros; hos autem ita excitatos, iesu mortalium oculis erepto, in orbem prodiisse: conciones habuisse, huius argumenti: nota esse quibuscunque miracula, a doctore eorum facta, augustissimum præsertim illud resurrectionis, pro signis nuntii diuini vnanimi consensu habita, et quum quæstio non esset de horum factorum veritate, ipsis omnibus eorum testibus; illam spectare ad officia tantum, ex hac conuictione promanantia et ad auditores, ad id æquum ducendos, vt doctorem ob ipsa hæc facta pro eo, quem se declarauerat, agnoscerent, *act.* II, 41. IV, 14. X, 44. XI, 2. XIII, 48. XVI, 31. dicta multis et magnis obsignasse miraculis, *act.* III, 12. V, 15. VIII, 6. IX, 23. XIII, 9. XIV, 3. XIX, 11. XX, 10. XXVIII, 9. confitentes, se producere effectus hosce vi supernaturali, a iesu doctore communicata, per fidem in nomine ipsius; seu ob mandatum et concessam ab eo potestatem, *act.* III, 16. hoc autem modo finem eos obtinuisse et breui tempore magnum mortalium numerum saluari iesu doctrinæ se addixisse. Inde patet, arctissimum inter miracula christi et progressum rei christianæ esse nexum, huncque ex illis tantum intelligi posse, quum concipi haud queat, quo modo, sublatis his mediis, conuictione nempe per miracula iesu ac ea, quæ ab apostolis perpetrata sunt, innumeris hominibus, vt sectatores doctrinæ molestæ se profiterentur, malisque ac persecutionibus, quæ excogitari possunt, omnibus se exponerent, persuaderi potuisset, nisi inter omnes de indubitata eorum veritate iam constitisset. Ex eo denique adparet, vel res christianas ac miracula aut concedi; aut negari; vel, si veri

ri

ri sunt ortus ac progressus rei christianæ; inseparabiles tamen a miraculis iesu, hæc ipsa miracula facta esse debere. Vberius hac de re egerunt viri eruditissimi, veritatem religionis christianæ ex illius factis demonstrantes, e quibus vnicum nominare liceat HOVTEVILLAEV M, abbatem. u) Vltimum denique momentum si adplicetur et instituta miraculorum christi cum Mosaicis comparatione, easdem fuisse circumstantias eundemque factorum nexum similemque igitur casum existitisse, quum adpareat, similia quoque contigisse, admodum probabile est. Hinc vel et Mosaica facta negari debent; sic autem corruerent, quæ de Iudæis narrantur; vel concedendum est, et Mosen et christum miracula perpetrasse.

§. XI.

Argumenta pro veritate facti externa quum ex affirmatione aliorum; siue testimoniis desumantur, quæ a testibus, fide dignis, proferri debent, ratione miraculorum iesu scriptores euangelicos, vt testes primarios, omni fide dignos esse, probandum venit. Quamuis enim euieta librorum, quos illi litteris consignarunt, origine diuina, omnia, quæ ipsis insunt, hinc et miracula, extra omne dubium posita sint, præsertim, si ipse veritatis spiritus conuictionem producit, testimonio, omnem demonstrationem superante; hæc tamen origo confirmatur et errori obuiamitur, instituta probatione, auctores testimoniorum fide esse dignissimos. Instituto hoc examine, quod prolixè ab aliis factum est, patet, quæ desiderari possunt, omnia exploratæ fidei requisita, facultatem nimirum et sinceritatem, in iis re-

C 3

peri-

u) libro egregio *de veritate religionis christianæ ex factis demonstrata*, libr. I. cap. VI. X. add. I. A. C. ABBADIE *de la verité de la religion chrétienne*, tom. II. et 10. ALB. FABRICIVM *syllabo scriptorum, qui veritatem religionis christianæ etc. asseruerunt cap. XXXIII.*

periri; seu quod idem est, veritatem eos referre et potuisse et voluisse. *Facultatem* enim merito consideramus cum ratione temporis et loci, qua testes fuerunt, quos vocant, oculati, tamquam comites iesu eiusque discipulorum numero adscripti, hocque nomine miraculorum ipsius spectatores, quales Matthæum et Ioannem, simul apostolos, fuisse, certo constat, quemadmodum et semet ipsos testes, omnem fidem merentes, pronuntiant, *Io. XXI, 24. 1 Io. I, 3. coll. Io. XVI, 27. act. I, 8. 21.* tum ratione ingenii atque scientiæ humanæ, quæ licet non magna fere exstiterit apud omnes, si Lucam excipias; hoc tamen auctoritati testimoniorum nihil subtrahit, quum tantum vsus sensuum legitimus requireretur; quin potius illam auctoritatem auget, dum euitarunt suspicionem, se res, creditu difficiles, colore obduxisse circumstantiasque addidisse, vt felicius illas aliis persuaderent, quale opus, si quis modo probabili figmenta contexere voluisset, in omni, præsertim miraculorum, historia maxime fuisset arduum ac artem requisuisset. Sufficit igitur abunde, qua callebant, scientia ad auctoritatem certumque est, quod illam adhibuerint omni cura ad id; vt de veritate experientiæ et propriæ et alienæ certi fierent, quum res ad id spectaret, vt de his miraculis conuicti nomina darent religioni, præiudiciis illius temporis ac voluptati, quæ in sensus occurrit, oppositæ. *Sinceritas* eorum firmis pariter nititur argumentis, si consideretur *primo*, nec vllam adesse rationem, quæ suspicionem contrarii adferat: qua moti falsis ac mendacibus visis animos aliorum occupare voluissent. Hinc potius viri boni habendi sunt, donec probetur contrarium: immo proba hæc eorum indoles elucet ex eo, quod in scriptis suis haud fucatam probent pietatem: ipsorum hostium obiectiones, miraculis iesu factas, referant omnemque partium amorem ab iis remotum esse, demonstrent, quum suas et sociorum imperfectiones, ignorantiam, timidi-

miditatem, opiniones præconceptas ac superbiæ narrant documenta. *Deinde*, si etiam abessent hæc sinceræ mentis criteria; nec tamen excogitari potest emolumentum vllum, quod enasci ipsis potuisset ex erronea relatione: multo minus factorum fictione, si fallere *voluissent*, quum non solum ipse iesus discipulis omnibus prædixisset, constantem horum factorum confessionem ac euangelii prædicationem tantum odia, vincula omnisque generis afflictiones; nulla autem commoda: nulla bona huius sæculi adlaturam esse, quæ mala, neglecto testimonio, euitare potuissent; sed etiam ipsi perpetua veritatum ob hæc facta adsertione nihil aliud effecerunt, quam, vt malis quibusuis se exponerent. Præterea, si etiam adsumatur, eos nullius emolumenti spe captos fuisse; tamen fallere voluisse, id haud *potuerunt*, quum res narrarent publice gestas ac recentis memoriæ: hinc nec esset possibile, vt tot fictiones aliis persuasissent. Magna enim aderat eiusmodi aduersariorum copia, quibus nec vires deerant, in veritatem factorum inquirendi, quia etiam testes oculati et acutioris nasi homines exstabant; nec voluntas, quum facile ipsi perspicerent, omnes opiniones et religionis saltem partem ab effectu doctrinæ, per facta hæc confirmatæ, pendere. x) Præter hanc testimoniorum rationem considerandam, attendendum quoque est ad numerum et relationem scriptorum inter se, qui optime, quoad præcipua narrationum momenta, inter se consentiunt; dissensus vero in rebus leuioris momenti, non ex composito factus, auctorum potius sinceris animos demonstrat.

§. XII.

Accedunt his, iam expositis, ecclesiæ primæ testimonia:

x) ad ea, quæ insulse et malitiose profert ISAAC. OROBIUS in *tertio scripto quæsit. IV. num. 3.* vt fidem virorum sanctorum infringat, crudite respondit HERM. WITSIVS *in letemat. Leidens. p. 354.* Pari quoque modo

nia: I) *reale*, quod euentibus illis absoluitur, qui tantum his factis iesu originem suam debent, confessio nimirum salutaris de christo, ad quam nati inter superstitionem et educati inter odia perpetua, quæ exercebantur contra iesu sectatores, numquam perducti fuissent; nec alios ad istam perduxissent, nisi probata ipsis fuisset horum factorum veritas: II) *scripta*, ita comparata, vt vel declarent, euangelistarum libros vera esse rerum a iesu factarum monumenta; vel relationes de miraculis illius confirmant, quorsum post IGNATII, QUADRATI, γ) episcopi Atheniensis, IRENAEI ζ) ORIGENIS α) aliorumque testimonia, pro re christiana factæ defensiones; siue *apologiæ* IVSTINI *martyris*, ATHENAGORAE, TERTULLIANI, ARNOBII aliæque, hic non enumerandæ, pertinent, vbi de christi miraculis, vt rebus notissimis; nec vnquam in dubium vocatis, agitur, quorum virorum, sane eruditorum ac ante a veris sacris alienorum, testificatio ex conscientia ortum trahere debuit. Ipse quoque maioris numeri horum testimoniorum, quæ ad ætatem istam spectarent, defectus nobis inferuit, quum probet, non necesse esse, existimasse patres ecclesiæ, vt argumentis firmarent eam factorum veritatem, de qua dubitare, nec vlli ipsorum quoque hostium in mentem venit; nec sine legitima scepticismi, satis

do confirmatur veritas hæc historica per demonstrationem apogogicam, ita vt adsumatur, fictas esse has narrationes; postquam autem quis tempus, auctores, obiecta, media deceptionis ipsosque deceptos considerauerit, tot proueniunt absurda: impossibilia, moraliter spectata, vt reuertendum sit. Suscepit eiusmodi probationem vir acutissimus WERENFELSIUS *syll. disput. IV. de veritate miraculorum in sacra scriptura narratorum sect. 2.*

γ) memorabile eius testimonium seruauit nobis EVSEBIUS *histor. ecclesiast. libr. III. cap. 36.*

ζ) qui in *epist. ad Florinum*, se ex Polycarpo multa audiuisse, asseuerat, ratione doctrinæ et miraculorum *τὰ σύμφορα τῆς γραφῆς.*

α) libris *contra Celsum*, cum quo ORIGENES de ipsa miraculorum veritate disputauit; non vero historica, quæ, vt notissima, ab hoste concedebatur ipso.

tis crassi, suspicione fieri potuit, licet multa, ad tuendam rem christianam, ab iis confecta fuisse videantur. Multum denique roboris huic probationi accedit, si argumenta addantur, ex ipsorum hostium confessione desumpta. Ad ethnicos enim quod attinet, veritatem horum factorum confirmarunt tam expressa eorum concessione, hincque conuicti quæuis alia refugia quærere coacti sunt, quale officium inuiti præstiterunt, quod notissimum est, CELSVS, b) IVLIANVS, c) PHLEGON TRALLIANVS, d) testes fide dignissimi; quam infelici præstigiæ miserarum cum miraculis iesu comparatione, tentata ab HIEROCLE, Apollonii Tyanei patrono e) et solide ab EVSEBIO refutato, f) et PORPHYRIO; g) ne quid dicam de PLOTINO, AMELIO, IAMBlichO, EVNAPIO. Erant illi theurgiæ studiosi suaque miracula inuicem laudabant, ac magnam in studio magico inter Platonicos eo potissimum tempore collocabant, quum viderent, miraculorum, quæ iesus effecerat, tam felicem fuisse successum. b) Quoniam autem ita existimarunt, se sibi ipsis succurrere posse, si miraculis christi alia opponerent, simul significarunt, se conuictos fuisse de veritate miraculorum christi; nec habuisse, quæ istis obiicerent. Pluribus de paganis, de iesu seruatore testibus, agunt: IO. FRANCISCVS

D

BVD-

b) cuius apud memoratum ORIGENEM reperies testimonia *libr. I. p. 87.*

c) apud CYRILLVM *Alexandr. contr. Iulian. libr. VI. p. 191.*

d) qui iesum magnum, cognoscit, esse prophetam, apud Origenem *contra Celsum libr. II.*

e) libris, quos *λόγους φιλαλήθεις* vocauit.

f) *contra Hieroclem.*

g) *vita Pythagoræ*, licet ipse confessus sit, destruxisse iesum opera diaboli, secundum EVSEBIUM *preparat. euangel. libr. V. cap. 1.*

b) plura hac de re legi possunt apud STANLEIVM *hystor. philos. part. XIII. sect. II. cap. 29. 30.* nec non IO. ERNESTVM FLOERCKIUM *commentar. de crimine coniurat. spirituum.*

BVDDEVS, *i*) PETR. DANIEL HVETIVS, *k*) TOBIAS EGKHARDVS, *l*) P. DOMINICVS DE COLONIA *m*) ac alii, quos enarrat IO. ALBERTVS FABRICIVS. *n*) Huc quoque referri posse videtur magna christi apud gentes existimatio, sine dubio ex tantis operibus, quibus inclaruit, oriunda. Documentum illius præbet Tiberius imperator, quem apud senatum de iesu, in deorum numerum adscribendo, egisse, refert TERTVLLIANVS *o*) ac quamuis sola scriptoris huius fide res hæc nitatur; probabile tamen est, illam omnino contigisse. Idem tradit de Alexandro Severo *p*) AELIVS LAMPRIDIVS et narrat, Adrianum tanti fecisse christum, vt templum ipsi dedicare voluerit. *q*) Ipsos denique Iudæos veritatis huius testes aduocare liceat, quod iure fieri posse, patet cum ex IOSEPHI de iesu eiusque miraculis testimonio; *r*) tum ex perpetua huius gentis conuictione de veritate historica miraculorum iesu. De illa testantur sacræ literæ

i) *diff. de veritate religionis christ. obtrectationibus philosophorum gentilium confirmata, inuenienda in miscell. sacr. part. I. p. 328.*

k) *demonstration. euangelica. prop. III.*

l) *comm. de non-christianorum de christo testimoniis.*

m) *tractatu inscripto: la religion chrétienne autorisée par le temoignage des anciens auteurs payens.*

n) *syllabo scriptor. de veritate relig. christ. cap. XXXII.*

o) *apologet. cap. V. Ex eo idem habent EVSEBIVS hist. eccl. libr. II. cap. 2. aliique, quod probabile certe est, quum Tertulliano res esset cum paganis: conf. summe venerand. PRAESIDIS histor. eccl. secul. I. cap. I. sect. I. p. 174.*

p) *vita Alexandri Seueri cap. XLIII.*

q) *ibidem cap. XXIII.*

r) *antiquit. iudaic. libr. XVIII. cap. III. tom. I. p. 876. edit. HAVERCAMP, cuius testimonii auctoritatem, quum multum de eo disceptatum fuerit, non sine rationibus adseruerunt viri eruditi: GVILIELMVS CAVEVS hist. litter. scriptor. eccl. p. 22. CAROLVS DAVBZIVS libr. II. pro testimonio Iosephi de iesu christo. HONOR. DE S. MARIA in reflexions sur les regles et sur l'usage de la critique, tom. III. p. 464. quibus vna cum aliis assentitur PRAESES reuerend. adductis simul sententiis contrariis, in historia eccl. secul. I. cap. I. sect. I. p. 170. seqq.*

teræ, quæ referunt, hostes seruatoris, etiam ad miracula sua prouocantis, numquam ista inficias iuisse; sed proceres illorum, potius veritatis factorum auctoritatisque, inde ortæ, bene conscios, populi vniuersi ad ipsum conuersionem et, si istum læderent, eiusdem seditionem metuiffe, *Io. X. 47. 48.* et postea, quum ad iudicium vocaretur, testes illos corruptos ne verbum quidem de falsitate miraculorum dicere, ausos esse; quam tamen, si vlla adfuisset, feliciori certe successu protulissent. *s)* Accedit, quod et tempore insequenti miracula, a iesu patrata, concesserint nominique potius arcano: *t)* auxilio diabolico ac magiæ, quam exercuisset, tribuere: se multis miserrimis nugis ac ingeniorum suorum fœtibus infelicibus oblectari seque excusare; quam miracula facta esse, negare maluerint. Hæc itaque testimonia pro veritate miraculorum christi; siue externa argumenta magnopere certe valent ad illam confirmandam, quibus si addantur prioris generis rationes, manifestum satis est, quod, quum miracula Christi non solum possibile: maxime probabilia: immo hypothetice necessaria sint; sed etiam a scriptoribus proferantur, fide dignissimis: testimoniis et eorum, qui veritati fauent, et inimicorum confir-

D 2

men-

s) nec vnquam legimus, excommunicatum; seu ἀποσυνάγωγον iesum factum esse a Iudæis, non obstante *Io. IX, 22.* Nec ex commentis Iudæorum insequentium id sequitur; nec omnino sufficiunt rationes, a BASNAGIO aliisque adductæ, quod ostendit THEODOR. CRVGERS *diss. de christo, dum in viuis fuerit, censura Iudæorum ecclesiasticæ immuni.*

t) quum comminiscuntur, christum

operatum esse et miracula fecisse per שם המפורש hæc ita lubenter concedunt; de ipso vero commento hoc plura habent idque refutant: LUTHERVS in *tr. vom Schemhamphorasch vnd Geschlecht christi*; WAGENSELLIVS *confut. toldos ieshu p. 32.* HOORNBEEKIVS *de conuincendis Iudæis*; IO. IACOBSCHVDTIVS *compend hist. Iudaic. libr. I. cap. IX. p. 84.* EISENMENGERVS *Iudaismo detecto part. I. cap. 3.*

mentur; siue quod idem est, argumentis internis et externis, rite comparatis, nitantur, summam eadem præ se habeant fidem, ac veritate gaudeant historica, cum aliis factis non communi solum; sed et præ istis singulari, quoniam paucae adfunt rerum gestarum narrationes, quarum probatio ad eiusmodi certitudinis gradum tali fiducia, qualis heic locum habet, produci potest.

§. XIII.

Progressuro mihi nunc ad alterum veritatis miraculorum christi momentum, hoc probare incumbit, notas in ipsis reperiri distinctiuas genuinorum miraculorum; seu illa *metaphysice* vera esse. Dari eiusmodi criteria ac necessariam esse eorum inuestigationem, docet nos scripturæ sacræ testimonium, quæ postulat, vt ab erroneis et satanæ operationibus nobis caueamus, ad euitandum seductionis periculum, *deut.* XIII, 4. *Matth.* XXIV, 24. *2 Theff.* II, 10. Frustranea fane esset hæc postulatio, nisi facultas supponeretur, distinguendi; nec media essent ad finem, missionis videlicet diuinæ probationem, obrinendum, accessaret sic obligatio ad fidem, patranti miracula exhibendam; quod tamen Mosis et christi, ad illa prouocantium, effatis contrarium est. Repugnaret quoque perfectionibus diuinis, si veritas euentuum illorum dubia deberet relinqui, quibus reuelationis nititur certitudo. Quum vero per modum scriptionis huius non liceat, de ipsis notis verorum miraculorum ac priorum, quibus ab oppositis, falsis et impropriis quibusuis se distinguunt, fusius tractare, id tantum, quod et sufficiet, pro scopo agam, vt ostendam paucis, quæ narrantur, opera ista, a iesu producta, criteriis prædita esse, ex quibus cognosci possit, ista haberi haud posse vel pro euentibus mere naturalibus; vel pro mirabilibus; vel prodigiis; vel meris præstigiis, iis scilicet, quæ veris et propriis miraculis

lis

lis sunt opposita. Primo enim ex antecedentibus liquet, si euentus cuiusdam, possibilis ac probabilis, ea deprehendatur ratio, vt supernaturalis sit, ac facta a legibus mutationum secessio, adesse definitionem ac essentialia miraculi veri nominis, hincque talem euentum etiam definitum constituisse et metaphysice verum esse debere. *u)* Euentus hæc ratio adparet, si internæ facti determinationes eæque, quæ illud efficiunt singulare, examinentur, ac modus facti supernaturalis declaretur; seu probetur, vel in se naturaliter illud esse impossibile; vel certis tantum sub circumstantiis, quo præsertim pertinet momentanea; siue in instanti effectus productio. Quodsi itaque miracula iesu hoc respectu considerantur, patet, quod illa non solum possibles et summe probabiles fuerint euentus; sed etiam præter supernaturalem rationem indubiam, manifesta sit a legibus mutationum secessio in opere resuscitationis: multorum hominum per paucissima alimenta cibatione et quæ crebro designatur res ab euangelistis, sanitate multis ægrotis ita restituta, vt morbi vel in se sanari non potuerint; vel nullus inter illos ac remedia intercesserit nexus. *x)* Omnia hæc in momento ab ipso facta sunt ac discessum est a mutationum legibus;

D 3

bus;

u) criterium hoc auctoritate ipsius christi confirmatur, qui, quum responsum daret legatis Ioannis, *Matth.* XI, 2. ad effectus, a se productos ac cuique notos prouocabat, v. 4. relinquens simul et Ioannis et cuiuscunque examini: num isti essent supernaturales ac merito verorum miraculorum nomine venirent, cuiusmodi prædicta erant de messia; nec ne? De veris falsisque miraculis ac eorum criteriis exposuerunt: IO. CONRAD. DANNHAVERVS *dissert. de miraculis veris*

falsisque, quæ exstat in eiusdem *disputationib. theol.* p. 713. SAMUEL WERENFELSIVS *Sylloge diff. theolog. diff. IV.* AVGVST. CALMETVS *de veris falsisque miraculis in prolegom. et dissert in scripturæ libros, tom. I. p. 357.* edit. IO. DOMINMANSI.

x) quod ostendit scripto singulari GVIL. ADER, *de morbis euangelicis*, quod exstat in *critic. sacr. Anglicanorum tom. IX.*

bus; diuersis tamen modis, secundum supra §. II. obseruata. Sufficeret itaque generatim criterium, ex definitione miraculi desumptum; quum vero vel non semper pateat in casibus quibuscunque: an superentur vires naturæ vniuersæ, ac discessum sit a legibus mutationum, sicque spiritus finiti, vires hominum superantes, pro causis efficientibus agnosci possint; vel factam esse hanc secessionem, credatur, sicque sæpissime, vulgo iudice, prodigium ac præstigiæ pronuntientur miracula; hæc autem, vera nimirum miracula, quia signa sunt veritatis, quæ in vniuersum omnes dignoscere oportet; alia adhuc, quamuis non naturalis ratio manifesta sit, criteria ponenda sunt, quibus tum ab effectibus geniorum finitorum, malorum præcipue; tum, si non naturalis ista ratio manifesta esse videtur, a prodigiis ac præstigiis miracula distingui possint.

§. XIV.

Accedit itaque criterium, a ratione finis desumptum, qui quum in confirmatione reuelationis nuntiatae; seu doctrinæ eius, qui patrat miracula, positus sit, ab illegitima huius conditione ad falsitatem illorum concludere licet, quum finis iste, vt effectus auctoris, testetur de causa ac alterum alterum confirmet. Miracula enim adistentiam et cooperationem superiorem; doctrina vero, vt finis, causæ efficientis indolem indicant. Vnde et sacra scriptura doctrinæ disquisitionem, vt medium, dignoscendi vera miracula a falsis, commendat, *deut.* XIII, 4. *2 Theff.* II, 10. Ad quam legitimam doctrinæ rationem requiritur, vt nec veritatibus, per naturæ lumen cognitis; nec reuelationi diuinæ, antea factæ, contraria sit. Consequitur ex eo, si doctrina, miraculis confirmata, non conuenit solum cum veritate; sed et ad emendationem hominum eorumque cum Deo vniionem promouendam spectat, miracula connexa diuinam habere debe-

debere originem hincque vera esse, satis dignoscenda ab operationibus cacodæmonum. Et licet ratio illorum supernaturalis aliunde nondum manifesta esset; ab angelo tamen bono ea prouenire deberent, Deo id dirigente, et inferuissent confirmationi veritatum; quos tamen effectus non liceret, vocari supernaturales, quum nec operationes hominis, aliis virtute ac arte superioris, ceteris impossibiles, eandem ob causam nomine eodem adpellemus; sed manerent mirabilia. Ad iesu miracula si iam respiciamus, quorum nonnulla saltem supernaturales fuisse effectus, primo intuitu extra dubium est, confirmantur ista egregie et hoc verorum miraculorum criterio. Testantur enim viri sancti, finem tantorum operum fuisse testificationem missionis diuinæ et doctrinæ, quatenus erat reuelata ac miracula requirebat, obsignationem. Veritates antea cognitæ tantum abest, vt doctrina sua oppugnet christus, quum leges de signis ac cerimoniis, per Moysen latæ, per se cessauerint; vt mirifice eas confirmauerit, earumque exhibuerit complementum, mediaque felicissimæ mortalium cum Deo vnionis distinctius explicauerit, expositis ceterum ac assidue inculcatis præceptis, quæ ad pugnam cum vitiis ac malis vitamque, tantæ vnioni cum Deo ineundæ conuenienter agendam, obseruari deberent, annexis motiuis ad eorum exercitium, quæ ad superanda impedimenta quæuis vires subministrant sufficientes. Pugnat itaque doctrinæ diuinitas pro christi miraculorum veritate, hocque nomine cessat obiectio duplex: miracula nimirum iesu vel prodigia; seu causarum naturalium ignotarum effectus extraordinarios; vel per vires spirituum finitorum possibilea fuisse, quod vtrumque propter singularem præterea miraculorum christi rationem fundamento omni carere, probari potest. Vtraque obiectio, vbi illa generatim consideratur, omnem vim amittit, si obseruatur, obiecta miraculorum christi fuisse vniuersalia; propter hanc autem illorum

ratio.

rationem necessaria fuisset cognitio virium singularum pariter, ac vniuersalium effectuumque, ex earum coniunctione prodeuntium, ac artium quarumcunque, posita supra modum cognitionis entium finitorum omnium, hinc et spirituum, si adfirmetur, eorum cooperatione iesum talia effecisse: etiam humana scientia multum superior, si miracula hominem solum patrasse, adseratur. Qua ratione quum a mundo condito ne vnus quidem mortalium opera eiusmodi praestiterit, quo modo ipsi causae, adeo reconditae, innotuissent, ostendendum esset; vtroque vero in casu, ob cognitionem illam illimitatam, finitorum eum eximunt numero dissentientes.

§. XV.

Ad posteriorem obiectionem speciatim quod attinet, constat, fuisse quosdam, qui de veritate historica conuicti, sicque ad angustias redacti, eo confugerunt, vt fouerent sententiam, iesum, quae narrantur, miracula operatione geniorum vel malorum; vel bonorum effecisse, quum prioris eum insimularent Iudaei, ipso adhuc in his terris agente, *Matth.* IX, 34. XII, 24. *Marc.* III, 22. *Luc.* XI, 15. et post haec idem clamarent *y)* et gentiles, testibus ARNOBIO *z)* et ORIGENE; *a)* posteriorem vero viam ingrediendam sibi esse, duxerunt deistae. Sententiae, vltimo loco notatae, praeter argumenta generatim adducta, supernaturalem eorundem rationem nimirum ac vniuersalitatem obiectorum, obstat, quia non solum, si hoc adfirmatur, numquam superest criterium, quo opera diuina ab angelicis distingui queant;

y) de quo conferrī possunt: IO. ANDREAS EISENMENGERVS *iudaismi detecti, part. I. cap. 2. p. 133. sqq.* et IO. CHRIST. WAGENSELLIVS *telis igneis satanae.*

z) *aduersus gentes libr. I. p. 25.*

a) *contra Celsum libr. VIII. p. 384.* Excusari aliquo modo possunt gentiles, quod non tanta apud eos miraculorum auctoritas fuerit, quia deceptores ad promouendas fraudes quas-cunque talia praetendebant; praeterea
au-

ant; sed etiam ipsius christi testimonium accedit, se propria vi ac vna cum patre cooperante tantos producere effectus: immo pro sententia hac dicendum est, Deum fraudem permisisse et confirmasse. *b)* Præterea subiectionis potius angelorum et imperii, quod christus in ipsos habuit, documenta habemus, quum eos seruitia ipsi præstitisse eique subiectos fuisse; non vero cooperatos esse, certiores reddimur ex *Matth. IV, 11. Hebr. I, 4. 6. Matth. XXVIII, 2.* Malitiosior certe est altera criminatio, male excogitata, qua Iudæi præcipue incredulitatem suam excusare ausi sunt; nec adferere dubitarunt, iesum, malorum spirituum auxilio magicisque artibus instructum, miracula edidisse. Cuius tamen insimulationis futilitas cuique, vel leuissime rem ipsam circumstantiasque historicas perpendenti, patescit. Prius enim quod attinet, præter argumenta nunc adducta, finis, doctrina nimirum probanda, contrarium docet et certum est, doctrinam, a Deo proficiscentem, confirmatione per potentiam diaboli non indigere; nec quis sibi persuadere potest, spiritus illos doctrinam, quæ ad destruendos eorum inter homines labores tendit, stabilire vnquam voluisse. Vfus est ipse christus demonstratione apogogica, quum obiectionem ita refutaret Iudæorum, vt protinus obmutescerent, *Matth. XII, 25. Luc. XI, 18. seqq.* eumque christianæ rei defensores ARNOBIUS, TERTULLIANVS atque alii imitati

E

tati

autem dignitas oraculorum valde iam labefactata erat atque accedebant doctrinæ philosophicæ de theurgia, quæ omnia idololatriam ac ita præconceptas opiniones stabiliebant, vt differentiam inter præstigias istas et miracula, ad quæ prouocabant apostoli, perspicere nolent, de quibus caussis fusius tractauit GEORG. WESTONVS libro: *an enqui-*

ry etc. nuperrime Cantabrigiæ publicato: conf. *bibliothèque raisonnée tom. XXXVI. p. 474.*

b) fusius et acute his argumentis rem tuetur HOUTEVILLÆVS *de religionis christianæ verit. ex factis demonstrata, libr. III. cap. 9. §. 974, 977. seqq.*

tati sunt. Ad circumstantias historicas si animus aduertitur, primo ne vestigium quidem adparet, iesum, ab omni fraude per se alienum, artibus magicis operam dedisse: c) deinde ex seruatoris *Luc. XI, 15.* IOSEPHI d) aliorumque testimoniis e) colligitur, peritos omnino fuisse adfessores synedrii quosdam artium magicarum, ac merito quaeritur: cur non eadem ediderint opera, in primis, quoniam videbant non sine dolore ac metu, christi auctoritatem in dies crescere; propriam autem sensim deficere? Exstitisse omnino, qui studerent eiusmodi artibus, euincunt exempla Simonis magi, *act. VIII, 9.* ac filiorum Sceuae, exorcistarum *act. XIX, 13. 14.* Tiberii insuper ac Neronis, quos infatigabili eiusmodi artium amore flagrasse, testantur TACITVS f) ac SVETONIVS. g) Si effectus, vel aliquo modo similes, producere, illis licuisset, christum imitati fuissent ac quamdam nominis famam sibi comparassent. Iudas denique iesum doctorem, quem prodidit, ab obiectione haec vindicat, quum vel

fic

c) homines illi quidem, cordibus et auribus non circumcisi, se inuenisse in euangelio quodam Petri tradunt, iesum, per biennium in Aegypto commoratum, incantandi artem didicisse, et, quae fecerit, per incantamenta fecisse, quae occurrunt in *nizzachon vet.* p. 34. 90. Sed neglectis rationibus aliis, explicent prius, quo modo iesus biennis artibus hisce imbui potuerit; deinde vindicent Mosen ab accusationibus PLINII et APVLEII, cuius in Aegypto commemoratio non ex scriptura solum; sed et aliunde constat, quod monet GROTIUS *de verit. relig. christian.* p. 288. edit. Kcecheri.

d) *antiquit. iudaic. libr. VIII. cap.*

2.

e) quae habet EISENMENGERVS l. c. *part. I. cap. 3. p. 150.*

f) *annual. libr. VI. cap. 30.*

g) *vita Tiber. cap. LXVII. LXIX.* eum peritissimum saltem matheos istius genethliacorum pronuntiat pariter ac IOSEPHVS *antiq. iudaic. XVIII. 8.* conf. SAM. PITISCVM ad haec Suetonii loca. De Nerone videatur PLINIVS *hystor. natur. libr. XXX. cap. 2.* Vnde etiam est studium amicorum Vespasiani, eum, Serapidem colentem, sistendi thaumaturgum, apud SVETON. in *vita Vespasiani cap. VII.* quae historia fraudi satis est obnoxia. Similis Hadriani habetur apud SPARTIANVM *cap. XXV.* conf. HERM. WITSIVS *meletem, Leidens. p. 376. seqq.*

fic maiori specie eum accusare; vel imitando facta iesu, auctoritatem sibi adquirere; vel potius auaritiæ, exemplo Simonis magi, satisfacere potuisset. Aliud vero docet testimonium hominis, crimen commissum ad desperationem vsque lugentis, quum innocentissimum se prodidisse, declarauerit. *b)* Ex eorum numero, qui commercium habent cum geniis malis, iesum ob miracula eximunt nonnulli quoque doctorum iudaicorum. *i)* Omnis igitur origo huius criminacionis quærenda potius est partim in falsis opinionibus, quæ altas iam egerant radices; partim in doctrina christi, carni ingrata ac pharisæis præsertim contraria. Quorum vitia quum christus publice reprehenderet, inde tot conuicia totque cauillationes ortæ sunt, quæ eo omnia tendebant, vt diminueretur auctoritas iesu.

§. XVI.

Suppeditat aliud veritatis criterium ipsius iesu, vt thaururgi, ratio, quæ non solum absentiam fallaciarum et fallorum miraculorum euincit; sed et probat, testimonium eius, opera hæc ex vi diuina immediata procedere, verum esse, quod elucescit, si consideratur: primo, quod vita confirmauerit doctrinam, eiusque sanctissimæ nobis reliquerit exemplar imitandum. Eum omnia officia sanctissime obseruasse, compertum habemus, ita vt ne minimi quidem vi-

E 2

tii

b) legi hac de re meretur BVD-DEI *comm. de Iuda veritatis euangelicæ teste: conf. quoque freywilliges Hebopfer, tom. VI. Beytrag 31. n. 4.*

i) nam in libro: *nischmath chaim fol. 148.* negatur, vllum magum, ne ipsum quidem diabolum, resuscitare posse mortuum et R. MENASSE BEN-ISRAEL resuscitationem mor-

tuorum vt caracterem et notam distinctiuam prophetæ veri a falso allegat: conf. EISENMENGERVS *part. I. cap. 3. p. 169.* Refertur vero ac traditur, in *toldos Ieschu*, eum hocce opus patrasse. Sequitur igitur ex propria eorum confessione, christum commercium nullum cum spiritu malo habuisse: quin potius, ipsum verum fuisse prophetam.

tii accusatus fuerit, quem ad modum prouocat ad id ORIGENES. *k)* Laudant eum ob insignem pietatem pagani, oraculo valorem apud eos habente, quod profert ex Porphyrio EVSEBIVS. *l)* Ei, vt LACTANTIUS *m)* dicit, *similis nemo exstitit, qui et verbo sapientiam tradidit et doctrinam presenti virtute firmavit.* Deinde, quod supra §. VIII. iam monstratum est, dono prophetico, vt altero diuinæ missionis signo, præditus fuit; denique autem, se esse legatum Dei, cuius virtute omnia operetur ac cuncta ad eius gloriam hominumque dirigere felicitatem, professus est, *Io. VII, 18.* ac Deus solempni modo declarauit, illum esse omnino talem, qualem ipse se esse, pronuntiauerat. Opera igitur hominis tam sancte viuentis: diuinam legationem sibi tribuentis ac cælesti ornati testimonio, ex virtute geniorum malorum provenire; vel præstigias esse, si quis vellet adferere, iste inter eos, qui insaniunt, insanissimus sine dubio esset. Accedit denique his momentorum aliorum consideratio, quum hic expendere debemus et obiecta miraculorum christi et rationem, illa perpetrandi; nec non effectus. Illa; siue obiecta maxime diuersa fuerunt et sæpius res eiusdem generis potentiam iesu monstrarunt. Sic innumeris fere vicibus morbos miraculose sanauit, ac diuersus fuit ab iis, qui miracula perpetrandi, vim adfectant et eo contenti sunt, si semel bene processit error; nec ægrotos, quum morbos eorum sanaret, ipse; vel eius discipuli elegerunt, qualem fucum Serapidis sacerdotes; vel amicos Vespasiano fecisse, admodum est probabile; sed ex omni regione adferebantur corporum calamitatibus maxime adfflicti, inuitis interdum discipulis. Quod si porro ad obiecta respicimus, omnis falsitatis suspicio

k) contra Celsum libr. III. p. 123.

l) demonstrat euangel libr. III. cap 9.

m) diuin. instit. libr. III. cap. 23. n.

9. 10.

cio cessat in miraculis Lazari, iam putrefacti et ad pristinam vitam reuocati : tot hominum miraculose cibatorum : tot presentium non solum ; sed et absentium sanatorum aliisque. Quod ad rationem ipsam, qua miracula effecit, attinet, non per vices quasdam, si circumstantiæ aptæ videbantur ; sed omni tempore imploratus ac virtuti suæ confisus, paratum se ad opem præstandam præbebat. Non alienis spectatores distrahebat negotiis : quin potius de remouenda omni fallaciarum suspicione sollicitus, eos ad attentionem excitabat, qualis curæ testimonium exstat, *Marc. VI, 40. coll. Luc. VIII, 14.* Nec medicum se gerens, media præscribebat ægrotis ; nec per ambages et post præparationem longam accedebat ad ipsum opus suscipiendum ; sed vel nullis ; vel talibus mediis utebatur, quæ nexum nullum habebant cum effectu producto. Iubebat ob fiduciam, quam homines in eum declarabant, ægrotos esse sanos, quod mandatum et apud præsentem et apud absentes in instanti sequebatur effectus, istaque opera omnia in conspectu omnium edebat : in locis publicis, ita, vt tota Iudæa tactis his inclaresceret : tempore quo-
cunque, etiam solemni, *Io. IV, 45.* Circumdatus fuit cum testibus innumeris, quibus, repetitis miraculis, sufficiens et distinguendi et inquirendi, data erat occasio ; tum accerrimis hostibus, qui satis acuebant attentionem propriam ex inuidia, et in examinanda aliorum experientia satis erant solliciti. Vnde et nonnulli eorum, quibus de meliori luto finxerat præcordia numen, quum de diuina horum operum origine conuicti essent, dissentiebant a sociis, *Io. IX, 16,* demum autem contra conscientiam malis genis diuina tribuebant. Miracula christi fuerunt denique effectus non momentanei ; sed solidi et permanentes, quum nec a mortuis resuscitados per dies aliquot tantum vixisse ; nec sanatos in morbos recidisse ; sed multos per annos vitam degisse, scimus, quæ momenta itidem falsitatis speciem a mi-

raculis christi remouent. Quum igitur miracula illa veritatis criteria, adhuc adducta, quibus a falsis et impropriis miraculis plane distinguuntur, præ se habent, luculenter patet, vera ista fuisse ac habenda esse miracula. Duplex veritas miraculorum iesu, et historica et metaphysica, probata conclusionem hanc suppeditat: iesus quum non solum certe ediderit miracula; sed et ista vera fuerint miracula: præterea vaticinatus quoque sit et nuntium voluntatis diuinæ se præstiterit; vtrumque vero et miraculorum perpetratio et rerum cum ad salutem necessariarum; naturali tamen vi haud cognoscendarum reuelatio; tum futurarum prædictio, missionis diuinæ indubie sit signum; illum omnino fuisse doctorem, vere a Deo missum; seu verum legatum diuinum ac prophetam oportet.

§. XVII.

Post monstratam miraculorum christi veritatem de prærogatiua quoque eorum, relata ad illa miracula, quæ antea facta sunt partim generatim sub veteri testamento; partim speciatim per Mosen, dispiciendum est, ita, vt comparatio instituatur atque ostendatur, quantam dignitatem habeant miracula christi præ istis, cum ratione *qualitatis*; tum *quantitatis*. Quod ad *qualitatem* attinet, prærogatiuæ horum miraculorum plane singulares sunt. Si enim primo ad originem eorum atque vim, qua illa sunt producta, animum attendimus, aliena potestate legati diuini veteris testamenti egerunt, hacque de causa vim supernaturalem aliis haud tribuere poterunt. At vero iesus propria vi patrauit miracula, quod euincitur cum ex eo, quia θεῶν θεῶπων eum fuisse, relatum ac firmatum habemus rationibus; tum ex proprio illius testimonio, Io. V, 19. vbi æqualem se esse Deo, hincque viribus cum patre communibus pollere, ac ταῦτα ὁμοίως ex eodem principio eodemque modo edere, adfirmat; seu significat,

ficat, quum pater nullis alienis tanta opera producat viribus; ipse vero ei sit æqualis, necesse esse, vt etiam ipse tanta opera, quanta ille, efficere possit. Vnde v. 21. 25. seqq. eiusmodi opera, quæ perfectiones arguunt infinitas summumque imperium, adducit hocque testimonium verum esse debere, neglectis rationibus aliis, ex eo patet, quia verus est propheta; alias autem Deus falsissimam confessionem miraculis veris obsignasset. Idem confirmat facta a iesu harum virium cum aliis communicatio, et apostolis, *Matth. X, 1. Marc. VI, 7.* et septuaginta discipulis, *Luc. X, 19.* omnibusque sectatoribus genuinis, *Marc. XVI, 17. 18.* Qui quum miracula patrarent, horum dependentiam a vi aliena satis monstrarunt, si quidem precibus ardentissimis, vt signum potentiae ederet, ad Deum fusis prægressoque molimine exaudiebantur. Pro hac itaque origine miraculorum christi, a perfectionibus infinitis ac vi propria infinita deducenda, præstabat agendi modus, quo ille utebatur. Vbi de re esse, vt fieret miraculum, iudicabat atque id volebat, sola voluntate decretum sapientissimum in instanti ad existentiam perducebatur, nulla opera nullisque adhibitis fere mediis. Differunt sane preces et tentamina Eliæ, *1 Reg. XVII.* ac Elifæi, *2 Reg. IV.* qui resuscitabat recenter mortuos, a solo christi iussu, *Luc. VII, 14. seqq. Io. XI, 43. Marc. V, 42.* tribus mortuis facto. Quod si etiam cum perpetratione miraculorum coniunctæ erant circumstantiæ nonnullæ, aderant istæ tantum, vt attenti redderentur spectatores; vel certi innuerentur occulti fines, quo referri possunt contrectatio et manuum impositio, *Matth. VIII, 2. 15. XX, 34. Marc. VI, 41. VII, 3. Io. VIII, 6. 7.* Mox suscipiebat actiones; mox mittebat: præsens ac absens morbos curabat. Ex libertate igitur ab omni limitatione: ex omni vi summaque in res omnes potestate effectus processisse et ipsum christum inter thaumaturgos, qui præcesserunt, principatum tene-

tene.

tenuisse, adparet. Obiecta porro horum miraculorum si spectentur, hoc quidem respectu ceteris præferri debet Moses; christo tamen adiungi haud potest, quia miracula eius pertinuerunt ad regnum et gratiæ, quo præter magnum illud opus, liberationem hominum a perniciofa hostium potestate, referri quoque debet in animos humanos imperium, cuius exemplum occurrit, *Io. XVIII, 6.* et naturæ, qualia sunt: sanitatis restitutio a morbis, per se; vel sub istis circumstantiis haud tollendis ac diuersis, et alia miracula ratione corporum aliorum tam solidorum; quam fluidorum, atque in his miraculosæ et aëris et aquæ immutationes; ad vtrumque autem regnum vnio animæ separatae cum corpore spectat, resurrectione eius, miraculo augustissimo, obsignata.

§. XVIII.

Quodsi ad *quantitatem* miraculorum christi animum aduertimus, prærogatiua illorum pariter elucet ratione et numeri et magnitudinis. Quod ad numerum attinet, miracula, quæ fecit iesus vi propria per tres annos, superant vtique numerum antea a mundo condito factorum, quum tamen nec omnia litteris consignata sint, *Io. XXI, 25. VII, 31.* et miraculosæ præsertim morborum sanationes indefinite tantum relatæ, *Matth. IV, 24. XI, 2. IX, 35. XII, 15. XV, 31. Marc. I, 31. VII, 5.* etc. atque alia haud innotuerint, *Matth. XI, 21.* Magnitudine sua itidem excellebant. Maiora fecit miracula, non ratione potentiae, quum nullum opus Deo altero sit operosius; sed ratione effectuum et consequentiarum finiumque plurium et mediorum, quæ ad ea, quæ supra §. VII. dicta sunt, spectant. Hinc et miracula hæc fecundiora et nobiliora fuerunt. Primo enim singula erant beneficia et documenta amoris diuini, quum, duobus exceptis, non nisi ad liberationem hominum a malis ac bonorum acquisitionem

nem

nem spectarent, *act.* X, 38. atque ita differrent ab illis, quæ per Mosen in Aegypto ac in deserto facta sunt; nec similia essent miraculis iræ; aut vindictæ, *1 Reg.* V, 7. coll. *Luc.* XVII, 11. *1 Reg.* XIII, 4. coll. *Marc.* III, 1. *1 Reg.* I. coll. *Luc.* IX, 34. Maiora deinde erant, quia etiam pluribus hæc beneficia conferebantur, ac quum antea paucis tantum sanitas esset restituta, a christo innumeri fere sanabantur: conf. *2. Reg.* V, 14. *Luc.* XVII, 11. *1 Reg.* XVII, 16. coll. *Luc.* IX, 14. 17. Exhibebantur quoque duplici modo vt beneficia, quum christus et corporum et animarum hominum haberet rationem, hincque non solum nexum monstraret doctrinæ salutaris animæ cum miraculis, corporibus saluberrimis, ita vt fieret ad spiritualia adplicatio, quem ad modum *Io.* IX. legimus; sed etiam imploratus fidem, tamquam conditionem auxilii ferendi ac miraculi patrandi, vt eius obtineretur finis, constitueret necessariam, ac tum, sanato simul corpore, magnum istud remissionis peccatorum subiungeret beneficium, *Matth.* IX, 1. *Luc.* V, 18. quod nullus præstitit; nec præstare potuit vllus antecessorum, sicque se declarauit auctorem felicitatis humanæ vniuersæ. Miracula deinde christi, vbi coniunctim considerantur, omnia amplioribus ac felicioribus gaudebant successibus ac consequentiis præ illis. Tantum abfuit, vt Moses per miracula missionem suam Aegyptiis potuerit probare; vt ista sæpius deinde rixis ac seditionibus ab ipsius ciuibus in dubium vocaretur hique ad idololatriam denique declinarent. Nec feliciori successu gaudebat restauratio veri Dei cultus, suscepta ab Elia ac Elisæo ac reliquis; ita autem horum miracula differebant a prosperrimo eorum successu, quæ christus patrauit, qui breui post facta eius tempore legatus diuinus ac saluator: immo verus Deus a toto terrarum orbe agnoscebatur. Miracula sane hæc, siue sigillatim; siue coniunctim expendantur, magis; quam
F illa,

illa, quæ antea edita erant, inferuiebant cum fini isti generali; tum vltimo, gloriæ diuinæ videlicet amplificationi, quum præter potentiam, manifestaretur singulari modo bonitas summa, cum sapientia coniuncta, ita, vt optima in vniuersis ac singulis miraculis media optimis, vel manifestis; vel occultis, finibus responderent. Adparet itaque, miracula, quæ christus fecit, principatum ac prærogatiuam omnino tenere præ iis, quæ a prophetis omnibus ac speciatim a Mose facta sunt, ac probare, *n*) eum fuisse prophetam illis longe excellentiorem ac maiorem; *Io. XV, 24. Hebr. III, 5.*

§. XIX.

Iesum fuisse diuinum prophetam, quum antea ex eo monstratum est, quia externos prophetæ characteres præ se habuerit, vim nimirum vaticinandi ac miracula perpetrandi, nunc etiam ex iisdem eius miraculis quoque probari potest, illum exstitisse prophetam maximum, mediatorem, ad procurandam hominum cum Deo vnionem ab eo promissum; seu verum messiam, ex his potissimum argumentis, *o*) quoniam miracula ad internos; siue ad personam messiaæ spectantes, characteres pertinent, quatenus prædicta de messia *Ies. IX, 6. XI, 2. XXXV, 6. coll. Matth. XI, 2.* et impleta in iesu Nazareno sunt, qui character in se licet communis ipsi fuerit cum prophetis veteris testamenti; multo tamen excellentior illis fuit secundum ea, quæ iam dicta sunt §. XVII. quam præ-

roga-

n) conf. HERM. WITSIVS *meletem. Leidenf. p. 332. seqq.* et PHILIPP. A LIMBORCH *de verit. relig. christiana amic. collat. cum erudito iudæo p. 151.* qui collatis miraculis Mosaicis cum iis, quæ christus patrauit, hæc omnino præferenda esse illis, ostendit.

o) eandem probationem ex miraculis iesu exhibent: GOTTFRIDVS OLEARIVS in libro: *Iesus der wahre Messias*; MICHAEL LILIENTHALIVS *in dem Beweis aus den Wundern etc.* HERM. WITSIVS *meletem. Leidenf. p. 389. add. freywilliges Heboffers XXIV Beytrag* aliosque.

rogationem et Iudæi ipsi perspectam habuerunt, *Matth.* IX, 33. XII, 23. XIV, 33. Ad eandem rem probandam valent miracula eius, quum confirmant testimonium, ab ipso factum, quando et verum pronuntiat se esse messiam, *Matth.* XXVI, 63. *Luc.* XXII, 67. *Io.* IV, 25. XVIII, 36. et ex miraculis suis deducit conclusionem, se esse expectatum illum messiam, *Matth.* IX, 2. XI, 4. *Luc.* VIII, 18. *Io.* XIV, 11. V, 36. XV, 20. ac præcellere se virtute ac miraculis viris diuinis, qui antea vixerant, declarat, *Io.* XV, 24. atque incredulitatem et pertinaciam Iudæorum obiurgat, *Matth.* XI, 20. Præterea pertinet huc ad sensum Iudæorum, qui tunc expectabant messiam, *Matth.* XI, 3. *Luc.* II, 25. 38. hinc et ad Ioannem legatos mittebant, ex qua gente etiam multi, his factis adducti, publice, iesum esse filium Dei, professi sunt, *Io.* VI, 2. IX, 14. 29. XI, 23. VII, 31. XI, 47, coll. *cap.* VII, 26. p) Nec immerito ipsa praxis apostolorum, cum successu adhibita, additur, qui miraculis christi semper utebantur, ut argumentis, illum esse christum, *act.* II, 22. X, 38. *Hebr.* II, 3. 4.

§. XX.

Facile ex his cognosci poterit finis miraculorum iesu, qui, si secundum varios modos, quibus et inter se connecti et sibimet inuicem subordinari possunt fines, considerentur, diuersus quoque est. Finem *intermedium* nimirum *proximum*, ac *ultimum*; siue *summum* in felicitate hominum ac per eam obtinenda perfectionum diuinarum manifestatione consistere, patet ex iam dictis. q)

F 2 valem,

p) hunc messiae characterem necessarium agnoscentes pseudomessiae, id egerunt, ut illo præditi esse viderentur, qua de re legendi sunt: BASNAGIVS in *histoire des iuifs*; IOALENT de *iudæorum pseudomessius* atque alii. Confirmat hoc quoque doctorum iudaicorum sententia, ut ABARBANELIS *comment.*

ad *Iesaiæ* XI. qui inter decem illas messiae proprietates ponit signa et miracula, quæ patraturus sit rex messias contra naturam: conf. VITRINGA *observat. sacr. libr. II. cap. 16. §. 4.* et DANZIVS de *inauguratione christi* ceter.

q) supra §. VI.

ralem primarium, ac intermedium propiorem miraculorum iesu esse confirmationem eius doctrinae fideique obtinendae, quae ad id spectat, ut credamus, illum esse verum prophetam, messiam promissum ac verum Deum, itidem manifestum est, hocque liquet generatim ex constitutione miraculorum ad probandam missionem legati diuini, quibus et Deus ita usus erat: deinde ex eo, quia haec momenta, eum verum esse prophetam, eumque maximum, demonstrari non solum possunt ex miraculis eius, per dicta adhuc §. VIII-XVII. sed et debent propter disertam huius finis, ab ipso factam, significationem, a me adductam, r) quippe qui ipsi maxime notus esse debebat: quia porro miracula necessaria erant ad confirmandam auctoritatem nouae gratiae oeconomia, per hanc doctrinam constitutae, ac facta praeterea erat legis ceremonialis abrogatio, quae licet christo, legis complemento, praesente, *Rom. X, 4.* cessaret; ipsa tamen haec abrogatio aequae paribus diuinae originis characteribus splendere debebat, ac institutio, ac quia denique effectus in eo consistebat, ut pro vero messia agnosceretur. Quod ad fines *intermedios, remotiores et propiores* attinet, pro varia finium *intermediorum* ad se inuicem et ad vltimum relatione adsumta, ac *secundarios, speciales ac specialissimos*, illi omnes in singulis miraculis secundum interpretationis regulas, circa actiones diuinas obseruandas, eruendi sunt, vbi omnes tantum, quantum nobis perspicere licet, mirifice declarant sapientiam seruatoris nostri.

 SECTIO

 r) supra §. XVII.

SECTIO POSTERIOR
DE TYPICA MIRACVLORVM CHRISTI
RATIONE.

§. XXI.

Præmissis his de miraculis christi generalioribus, a me ad princeps dissertationis huius argumentum progressuro, in eo erit opera collocanda, vt facto de miraculis typicis, generatim spectatis, præfamine, de ratione typica miraculorum, quæ christum agnoscunt auctorem, agam. Illud sic iusto ordine tradi poterit, vt primum explicetur indoles typi, indicatis simul criteriis, vnde eius præsentia probari potest: deinde, determinata miraculi typici indole, existisse eiusmodi facta, ostendatur. Per typum, s) si ille sensu sumatur latiori, intelligimus factum quoddam; siue exemplum ad repræsentationem ac præsignificationem rei; seu facti alterius, a Deo constitutum. Hinc res ipsa præsignificata *antitypi* adpellatur nomine. Quum igitur ad eiusmodi typum rei significatæ eiusque conditionis præuisio: huius cum re præsignificante analogia, ad obtinendum finem apta, ac ipsius typi ad eundem scopum constitutio requiratur; ad vtrumque vero et præscientiæ et sapientiæ diuinæ virtutes valeant, patet, cum admodum possibiles esse eiusmodi typos ac ipsum Deum eorum auctorem existere; tum, si qui dantur, eos in reuelatione diuina propiori reperi-

F 3

ri

s) de variis vocis *typi* significacionibus diligenter exposuerunt: SAL. GLASSIUS *philol. sacr. libr. II. part. I. sect. 4. artic. 1.* GVIL. SALDENVS *orior. theol. libr. II. exercitat. 3. p. 204.* HENR. STEPHANVS in *thesauro linguæ Græcæ*: add. HIERON. GVIL. SNABELIVS in *amœnitat. theolog. emblem. et typicæ diff. I. p. 129.* Vfus ecclesiastici exempla profert SVICERVS *thesauro ecclesiast. tom. II. p. 1337.*

ri debere. Quod si sacri libri euoluantur, omnino eiusmodi typorum exempla *Ies.* XX, 23. *Ier.* XXXII, 6. 8. 14. 15. 43. 44. *Ezech.* IV, 5. 12. *Hof.* III, 1. occurrunt. Quæ si cum iam dictis comparentur, abunde declaratur, requiri ad typum partim, vt res altera imago ac exemplum sit alterius: momenta quædam vtrique sint communia, atque ita res altera ex altera, quoad hæc momenta, possit dignosci; siue, vt res præsignificans similis sit rei præsignificatæ, ac inter factum vtrumque nexus intercedat, qui dicitur significatiuus; partim, vt ipsa hæc similitudo diuinæ sit originis; seu res altera non conueniat cum altera secundum harmoniam ac similitudinem rerum quarumcunque vniuersalem; nec analogiam quandam specialiozem; sed vt adpareat, rem quandam ad significandam aliam a Deo constitutam esse. Denique necesse est, vt res tam significans, non ficta quædam possibilis; sed vera ac existens; quam ea, quæ significatur, nec præsens; nec præterita; sed futura sit. Sensu autem strictiori ac modo magis eminentiori res omnes, quæ sub veteri testamento vel ad messiam ipsum atque œconomiam, per eum constituendam; vel ad ipsam noui fœderis ecclesiam respiciebant ac vim repræsentandi habebant, *typi* vocantur, licet a quibusdam haud immerito ea potissimum et κατ' ἐξοχήν nomine hoc insigniantur, quæ proxime ad christum spectarunt. De typo, latiori sensu sumto, nunc sermo est, cuius etiam adducta sunt exempla. Eum et cum vaticinio conuenire, et ab eo differre, facile adparet, hocque nomine iste pro vaticinio reali habetur. Ex memoratis autem typi requisitis patet primum, canones, quos, circa typorum considerationem obseruandos, protulerunt viri celeberrimi: SAL. GLASSIUS, t) GVIL. SALDENVS, u) CHRIST.

t) loco cit. libr. II. part. I. tr. 2. sect. 4. artic. 7.

u) loco cit. libr. II. exercit. III. sect. II. §. 4.

CHRIST. MATTHIAS PFAFFIVS, *x*) HERMANN. WITSI-
VS *y*) aliique, ex similitudinis indole et adfectionibus de-
riuos esse, si typos spectemus generatim; *z*) scriptores
autem hos pro ratione typorum, stricte sic dictorum, ex
singulari eorum ratione ac obiecto, rebus nimirum præsi-
gnificatis, singulares deduxisse regulas limitationesque ad-
iecisse. Deinde ex requisito secundo, necessaria nimirum
similitudinis huius origine diuina, liquet, necesse esse, vt
adsint characteres ac indicia, quæ certum faciant, voluntatem
esse diuinam, vt factum hoc præsignificet aliud et indicet,
quodnam illud sit, licet hoc, antitypo nondum præ-
sente, ob rationem symbolicam typi, vt imaginis, admo-
dum exacte determinari nequeat. Ex quo itidem sequi-
tur, vt et homines illi, quorum tempore eiusmodi accide-
runt facta, de typica eorundem ratione instruendi fue-
rint; *a*) nobis autem, postquam ista litteris diuinis consignata
sint, sufficere debeant criteria, ex quibus, rationem typicam
secundum mentem diuinam ipsis inesse, tuto concludere
queamus. Patet quoque ex memorato requisito, istis cri-
teriis absentibus, inuentam vel feliciori successu inter
facta, quorum alterum quidquam præsignificare;
alte-

x) *diff. de recta theologia typica
conformatione* p. 14.

y) *œconom. fœderum libr. IV. cap.
6. p. 455. adde: RAMBACHIVM in-
stitut. herm. libr. IV. cap. I. §. 8. nec
non ASFELDIVM in regles pour l'in-
telligence des saintes ecritures, cuius
interpretatio debetur clarissimo BACH-
STROMIO.*

z) pertinent huc, quos exhibent
viri laudati, de typiscanones: plus es-
se saepe in typo; quam antitypo et

vice versa: esse rem quamdam mul-
tarum rerum typum: sufficere quæ-
dam tertia comparationis; nec ista ad-
modum esse cumulanda, et alii, qui
ex criteriis typorum ceteris eorumque
sine, si etiam sensu latiori sumantur,
deducti sunt.

a) id quod tempore eorum per tra-
ditionem oralem a doctoribus diui-
nis factum est; ætate autem subse-
quenti partim ex ista; partim præci-
pue ex libris diuinis, iam consignatis,
de

alterum autem præsignificari videtur, conuenientiam singularem hanc diuinam determinationem nunquam probare. Quamuis denique in eo typi, ex reuelatione diuina cognoscendi, conueniant cum parabolis sacris, ut res aliæ per alias designentur; requisito tamen tertio typi a parabolis factis distinguuntur, siue sensu latiori; siue strictiori parabolæ sumantur. *b)* De fine typorum ex antecedentibus hoc tantum generatim monendum est, quod, quum typi vaticinia realia sint; similibus vero reuelationum diuinarum similes adsumi debeant fines, pateat, scopum typorum generatim fuisse præfigurationem vel beneficiorum; vel iudiciorum diuinorum futurorum, quod etiam exempla, antea prolata, confirmant. De variis ac diuersis typorum diuisionibus egerunt: SALOM. GLASSIVS, *c)* FRANC. IVNIUS *d)* et GVIL. SALDENVS. *e)*

§. XXII.

Hiscæ de natura typi dictis addenda iam sunt criteria, ex quibus probari potest eius præsentia. Quum enim typi ex reuelatione, in codice sacro tradita, a nobis depromendi sint; omnis vero complexus repræsentationum de rebus

in

de typica hac factorum ratione edoceri potuerunt. Conferri possunt, quæ erudite disputauit contra interpretem Werthheimensem vir venerand. IO. PHIL. FRESSENIUS in *præf.* præmissa RAMBACHII libro, qui inscribitur: *Christus in Mose*, iisque addenda sunt, quæ hac de re disserit SALDENVS *loco cit.* p. 294.

b) qui a nonnullis sic determinatur, ut intelligant per parabolam factum quoddam fictum, præter morale, quod vi sensus improprii designatur, rem futuram repræsentans,

c) *loco cit.* qui post excussam illam ARETII diuisionem; quem tamen defendit SALDENVS, multas alias profert, quarum istam esse inadæquatam, qua typi distinguuntur in *innatos* et *illatos*, ex criteriis memoratis typi eorumque præcipue secundo patet.

d) in *parallel. sacr.*

e) *loc. cit.* addendus est IO. VAN DEN HONERT, qui in *institut. theol. typicæ* de variis typi speciebus disserit pariter, ac canones interpretationis eorundem exhibet.

in sacra scriptura traditis, pro diuina intentione excitandarum, scripturæ *sensus* dicatur hicque sit vel *immediatus* ac *litteralis*, quando vocibus determinatus est; vel *mediatus* ac *mysticus*, qui in rebus, per voces significatis, continetur, ac pars est sensus vnici pleni, *f)* patet ex his, sensum typicum in repræsentationibus rerum, in sacra scriptura, secundum scopum diuinum, alias res futuras designantium, consistere: deinde præsentem esse typum, si adsit sensus typicus, ac præsentiam huius sensus ex criteriis ac argumentis certis et ipsum sensum ex communi genuini sensus principio, verbis nimirum ac fine, determinari debere; denique autem typicum sensum esse mysticum. Reliquæ sensus huius species si considerantur, quum vel res corporales designant spirituales; vel facta tantum ficta, præter morale, quod ipsis inest, futura præsignificant, hancque in rem iste sensus *allegoricus*; hic autem *parabolicus* *g)* adpellatur, manifestum erit non solum, quam in re hæ species inter se differant; sed etiam, quod sensus mysticus quodam saltem respectu ad figuratum referri possit; *b)* præterea autem in eruendo hoc occulto sensu, generatim spectato, necesse sit, vt, rite determinato sensu immediato, mediati præsentia ex criteriis probetur, ac conuenientia deinde ac momenta designantium rerum ac designatarum ostendantur, obseruatis, quæ apud sensum

G

figu-

f) sic clarum est ex ipsa sensus definitione, mysticis repræsentationibus nec *sensus* nomen denegari posse; nec ex eius præsentia duplicem sensum oriri, de quo conferri potest RAMBACHIVS *instit. hermeneut. libr. I. cap. 3. §. 8. seqq.* vbi, quid de sensu mystico inter CALOVIVM et PFEIFFERVM aliosque nostratum litigatum sit, commemoratur, eique addendus est

celeberr. PFAFFIVS *de recta theol. typicæ conformatione* p. 8. seq. quas vero lites facile componi posse, ostendit BVDDEVS *instit. theol. dogm. libr. I. cap. 2. §. 25.*

g) quodsi scilicet significatus iste strictior adsumatur, cuius mentio facta est paragraph. antecedent.

b) commune enim hoc in utroque sensu, scilicet figurato, specie litteralis

lis

figuratum obseruari debent, hincque omne negotium eo redeat, vt præsentia sensus mystici euincatur ipseque sensus determinetur legitime. Præsentiam typi; seu sensus typici rerum, alias res futuras secundum intentionem diuinam designantem rationem si ex criteriis probare velimus, de ipsa hac diuina intentione testimonium diuinum infallibile omnium optime certiores nos facere, quisque videt, id quod, siue sit expressum verbis disertis; siue implicitum, ac quodam modo occultum, legitime inuestigandum est. Prout vero sine antea ex criteriis instituta probatione sensus mysticus erui non potest; nisi quis accommodationes quasuis, ingenii lusus piasque meditationes pro sensu sacro, magna in eiusdem auctoritatem cum iniuria, venditare velit; ita nec eorum valet sententia, qui indicatum fontem huius probationis reiiciunt; nec aliud, nisi testimonium disertum admittunt; aut singularem fere diuini spiritus in eo requirunt concursum, qui, vbi testimonium, expressis verbis conceptum, desit, illam probationem instituere sensumque efferre studet. *i)* Ac quamuis diserta sacrae scripturae testimonia omne tollant dubium; attamen, siue illa adsint; siue desint, vel addi possunt; vel sola adduci debent criteria, quæ implicita sacrae scripturae absoluuntur testificatione, sicque nos, vestigia prementes interpretum infallibilium, virorum nimirum diuinitus inspiratorum, ab
omni

s, et mystico inuenitur, ita vt in isto, qui immediate per voces determinatur, cum primis ac originalibus vocum significationibus alia connexa adsumantur, propter vtrarumque similitudinem; in hoc vero, qui per res, vocibus determinatas, intenditur, quoque res connectantur cum aliis, ob similitudinem, inter rem designantem et de-

signatam, intercedentem. Deinde etiam sensus parabolicus, si latiori vox *parabola* sumatur significato, ad improprium litteralem referri debet: conf. vir summe vener. BAUMGARTEN *hermeneut. sacr. sect. VI §. 94.*

i) vtriusque partis studiosos recensent celeb. PFAFFIUS *loc. cit.* et RAMBACHIVS *comment. hermeneut. de*

omni errandi periculo remoti esse possumus. *k)* Memoratis huius præsentiae criteriis alia addi possunt, si nimirum, sensu immediato eruto, ea repræsentationum ratio inueniatur, ut perquam aptæ sint res ad alias designandas, et necessarium sit, ut eiusmodi ratio designans non solum admittatur; sed etiam præferatur. Vnde patet primum, ex duplici fonte criteria hæc repeti ac hauriri debere, et ex scripturæ sacræ testimonio; seu parallelismo, qui, quum extra dictum, cuius interpretatio instituitur, locum inuenit, criteria inde desumpta vocantur *externa*, et ex ipsa rerum propositarum indole, vnde characteres, inde elicit, *interni* adpellantur. Adparet præterea, priora criteria existentiam; posteriora vero possibilitatem ac probabilitatem præsentiae sensus mystici probare, ideoque ab his merito initium esse faciendum. In explicatione utrorumque criteriorum operam iam posuerunt: HERMANN. WITSIVS, *l)* GVIL. SALDENVS, *m)* ASFELDIVS, *n)* HERMANN. VENEMA, *o)* IO. VAN DEN HONERT *p)* et IO. IACOB. RAMBACHIVS, *q)* vir inclitus et pietate et

G 2

erudi-

defensus mystici criteriis, ubi classem priorem præter doctores quosdam iudaicos antiquiores ac patres, quorum bene multos eiusmodi interpretationibus deditos fuisse, notum est, et pontificiorum doctores nonnulli, et COCCII sectatores; nec non alii quidam constituunt; posteriori vero cum Sociniani, uti CRELLIVS, SMALZIVS VOLKELIVS et ipse SOCINVS; tum remonstrantes adnumerantur. Deinde et iis, qui in defectu peccant, MARSHAMVS atque SPENCERVS; nec non JONCOVRTIVS adiiciuntur atque POTRETIVS.

k) conferri hic possunt, quæ observat RAMBACHIVS *loc. cit.* §. 8. et quæ huc spectant, WITSII verba *æco-*

nom. fæder. libr. IV. cap. 6. p. 638.

l) *miscell. sacr. tom. I. p. 673.*

m) *loc. cit. exercitat. III. p. 261.*

n) *loc. cit. regula VI. VII.*

o) in præfatione ad CAMPEGII VITRINGAE librum: *de miraculis christi*, qui Belgice ac Germanice prodit.

p) *institutionibus theol. typicæ, emblem. et prophet. quæ Lugd. Batau. ann. 1600 xxxviii prodierunt.*

q) qui cum in *instit. hermen. sacr. libr. I. cap. 3. p. 74*, tum in *comment. herm. ante adducta §. X - XVI. de argumentis istis internis et externis fuse exponit*; add. SNABELIVS *amœnit. sacr. theolog. emblem. et typicæ. p. 52.*

eruditione. *Internorum* itaque criteriorum, quæ et mystici sensus generatim et typici speciatim euincunt præsentiam, *primum* est: si facta diuina, et immediata et mediata, diuinoque mandato peracta clariora euadant: ratio perpetrationis euidentior fiat et illa conuenientiora reddantur virtutibus diuinis, adhibito sensu occulto; quam si admittatur tantum litteralis. Hanc in rem exempla occurrunt quoad typos strictius dictos in *Leuitico* vniuerso, ac typi specialioris *cap. XIV, 2* sqq. generalioris autem significatus *Ies. XX, 2. 3. Ezech. IV, 5. 12. V, 2. 12. VI, 15. XII, 1. seqq. XXIV, 3. 16. Hof. I, 2. III, 1.* Quum enim animaduertitur, clariora ac euidentiora fieri facta, si adsumitur, propter hanc rationem, respectum nempe mysticum, Deum ad illa vel peragenda; vel iubenda se determinasse, ac quum causæ mouentes ad actionem rationem continent finis definiendi, probabiliter quoque concluditur, finem eorum factorum ac actionum mysticum fuisse. Deinde si factum quoddam euadit conuenientius perfectionibus diuinis earumque manifestationi, hincque finis actionum diuinarum generalis insigni modo promouetur, adhibito sensu mystico, ita vt sine isto haud quidquam ad gloriam Dei conferretur: immo potius illa diminueretur adparenter, itidem magna huius præsentiae secundum scopum diuinum adest probabilitas. Quum enim omnis nexus finalis, finium videlicet optimorum eorumque et ordinatio et subordinatio, notus deo sit, quia omnes proprios actionis effectus eiusque usum legitimum præuidit, et vi sapientiæ eo direxit media, effectus hi atque usus pro finibus quoque diuinis haberi possunt; quumque admissa quoque ratio mystica hoc in casu ad legitimum facti usum pertineat, ea finibus quoque adnumerari potest, seque habet respectus hic mysticus ad perfectionum diuinarum laudationem, vt finis intermedius ad vltimum. *r)* Criteriorum
inter-

r) de criterio hoc interno conf. RAMBACHIVM *loc. cit.* p. 31. 32.
vbi

internorum *secundum* est ipsa repræsentationum, per sensum immediatum determinatarum, opportuna ratio ad designandas res alias, quæ ratio quo maior est; eo probabilior reddit sensus mystici præsentiam; sola tamen nunquam sufficit ad probandam illius existentiam. *s)* His criterium *tertium*, idque factorum parvi ponderis ratio subiungi potest. Ad *externa* criteria quod attinet, *primum* locum in illis habet testimonium spiritus sancti explicitum ac *discretum*, si nimirum ipsa res designata; seu antitypus indicatur: *deinde* et implicitum ac latens, cum, quando res designata, speciatim antitypus, proponitur nominibus ac locutionibus, a re designante ac typo desumptis, quum eiusmodi vocibus significatur proprietatum typi atque antitypi conuenientia, ideoque similitudo, quæ quum antea argumentum suppeditaret probabilitatis, iam ad certitudinis euehitur gradum; tum, si altera facta se referunt ad altera, quorum ratio typica deserto sacrae scripturae nititur testimonio, quo pertinet argumentatio a simili ad simile: a toto ac genere ad partes et species: a causa ad effectum etc. ac denique, si adusionibus manifestis alterum ad alterum refertur. *t)* Probata iam ex his rationibus præsentia sensus typici, repræsentationes, per sensum immediatum designatæ, determinari debent, ita vt stabilietur subiectum mysticum,

G 3

quod

vbi ostendit, de factis virorum sacrorum, quæ secundum litteralem sensum indignum quid eorum caracteribus; non tamen a Deo improbatum, contineant, pariter esse sentiendum. Monendum quoque est hic, obiectionem, ac si ideo interpretatio mystica quæuis recte se haberet, quum illa pertineret ad usum facti, non valere Nam *1)* adesse debet conditio facti, id suadens, quam posuimus, maior nimirum

conuenientia: *2)* criterium hoc non; nisi probabilitatem euincit. Adducantur itaque et alia ad probandam præsentia existentiam.

s) conf. RAMBACHIVS *loc. cit.* p. 35. seqq.

t) vberius de criteriis his externis differit vir sæpe iam laudatus RAMBACHIVS *loc. citat.* §. XVI, p. 51. seqq.

quod fit et ope criterii secundi interni, et externi; seu vt pronuntiat RAMBACHIVS, *ex analogia rei et scripturæ*; subiectoque huic conuenienter determinentur prædicata. Sensum omnem, hinc et typicum, ex verbis et fine deriuari debere, iam obseruatum est. Quum vero finis facti; siue materialis, id est, historicus ac dogmaticus determinari debeat *u)* vel ex significatione diserta; vel, si ista non adest, partim ex circumstantiis historicis, quæ rationem finis continent, auctoris nimirum, obiecti ac occasionis, cum ipso facto collatis; partim ex euentibus factisque similibus; seu parallelismo finium, ac denique ex facti ipsius effectibus ac consequentiis, patet, rationes has, finem determinantes, non solum conuenire cum illis, quæ antea pro probanda sensus typici præsentia adductæ sunt; sed et sensum typicum ex iis determinandum esse. Nimirum, vbi factum finem typicum habere, indicatum non est, finis typicus adparebit, ac sensus ipse facillime determinari poterit, si, rite considerato facti argumento, ope parallelismi finium ac reliquorum, quæ de implicito scripturæ testimonio, de nominum scilicet commutatione ac adlusionibus, quæ obiecta sunt finis formalis; seu verborum ac locutionum adhibitæ, qui ipse intermedius est finis materialis, dicta sunt, præsentia sensus typici probata est, ac quum subiectum typicum saltem quoad plurimam partem patet, comparatio quoque instituitur cum reliquis circumstantiis historicis. Quodsi adest finis typici facti cuiusdam significatio diserta, quæ in libris sacris, serius in canonem relatis, occurrit, id quod circa typos, strictius dictos, euenit, fines, quos in eo loco, vbi primum illud factum refertur, adesse, e fontibus probari potest, cum fine isto diserte significato legitime connecti

u) fontes hos, ex quibus finis facti deriuari debet, pro more exponit solide vir summe venerand. BAYM.

GARTEN *herm. sacr. sect. 5. §. 81. coll. §. 75. 76. 79.*

necti debent. Quum tamen fines facti cuiusdam varie connecti; seu coordinari et subordinari possunt, hique fines singuli et separari a se inuicem et connecti debent, ostendendum semper est, ad quodnam horum finium genus typicus finis facti referri debeat.

§. XXIII.

His expositis, notio *miraculi typici* quam facillime explicari potest. Absoluitur illud factio supernaturali, aliud quod futurum, secundum intentionem diuinam, præfigurante ac adumbrante. Rationem vero hanc miraculi typici ad finem miraculorum vel primarium; vel intermedium; vel specialem pertinere; nec non ipsa miracula vi scopi generalioris, quum signa sunt et extraordinarii quid in se continent, ita vt per minimas suas circumstantias excitent animum, præ factis aliis ad istum apta esse, ex prioribus patet. Existisse eiusmodi facta, in sacris litteris relatum habemus, ex quibus pauca breuiter memorare liceat, quæ, quum sub veteri testamento contigerunt, beneficia, per summum Dei legatum tempore noui testamenti in homines conferenda, repræsentarunt, ex quibus ea recensebo, quorum ratio typica scripturæ nititur testimonio. Quo pertinet: columna nubis et ignis, *exod.* XIII, 21. 22. plane miraculosa, vna cum transitu Israelitarum per mare rubrum. Illam habuisse typicam rationem, patet cum ex verbis Pauli. *1 Cor.* X, 1. vbi indicat, miraculum hoc coniunctum fuisse cum quodam mysterio; tum ex eo, quia in describendis beneficiis, per messiam in ecclesiam noui fœderis conferendis, a columna hac sumptæ locutiones vsurpantur a propheta, *Ies.* IV, 5. 6. hincque adest testimonium scripturæ implicitum, vbi antitypo ea tribuuntur, quæ conueniant typo. Accedit, quod angelus Domini, increatus scilicet, *exod.* XIII, 21. XIV, 19. in ista columna nubis habitasse dicatur, coll. *Io.* I, 14. sicque patet, columnam hanc præ-

præ-

hæc confirmaretur ac obedientia isti præstaretur. a) Miraculum, quod ad cibum, a Deo datum, et petram spectat, egregium etiam præbet exemplum, *exod.* XVI. XVII. Cibi huius typica ratio omnino nititur testimonio, cum apostoli, *1 Cor.* X, 3. ubi ille et ob originem et significationem nominatur *βρῶμα πνευματικόν*, tum christi, optimi finium diuinorum interpretis, *Io.* VI, 48. 51. qui semet ipsum antitypum esse, indicat, id quod etiam de petra confirmant et Pauli effatum, *1 Cor.* X, 4. et criteria, quæ ex argumento facti et parallelismo finium; seu euentuum præcedentium, qui *σχέσις* habebant typicam, desumi possunt, ubi quoque adparet, finem hunc typicum specialem huius facti fuisse. Accedit merito serpentis ænei in deserto institutum, *numer.* XXI. de cuius ratione typica certiores nos facit ipse christus, *Io.* III, 14. atque expresse perhibet, illum exaltationem eius, in cruce factam nobisque maxime salutarem, significasse, quæ ratio præsignificans ad finem facti huius specialem pertinuit. b) Quæ exempla adducta sufficiant ad probandum, facta esse ante natum christum miracula, quæ typica fuerunt.

H

§. XXIV.

a) vberior huius facti expositio exhibetur in *der allgemeinen Welthistorie*, part. II. p. 413. SAL. DEYLINGII *obseru. sacr.* part. III. obs. 5. IO. MARCKII *exercit. exeget.* p. 88. BIERMANNI *Mos. et Christ.* p. 748. ANTONII HVLSII *nucleo prophetico* part. II. p. 196. atque ab aliis.

b) pluribus de miraculo hoc typico agunt auctores *der allgemeinen Welthistorie*, part. II. p. 462. RAMBACHIVS in singulari tract. *Geheimnis vom Vorbild der ebernen Schlange*: SAL. DEYLINGIVS *obseru. sacr.* part.

II. p. 156. qui IOANNIS D'ESPAGNE, FRANC. BYRMANNI AC VITRINGÆ dubia soluit: HENR. SCHARBAV de *serpentis ænei significatione myst.* in *obs. sacr.* III. p. 421. FRANC. TYRRETTINVS tom. IV. *oper.* p. 187. HERM. WITSIVS *œconom. fœder. libr.* IV. cap. 10. p. 763. et alii, quos recenset LILIENTHALIVS in *biblischen ar. biuario alten test.* p. 225. Ceterum plura adduxit miracula typica celeb. VITRINGA *loc. cit.* quæ tamen præter similitudinem nullum præ se habent criterium, vti de baculo Moysis, sero natante, vrsis duobus cet. patet,

§. XXIV.

De typica denique miraculorum christi ratione nunc differendum est, ita vt primum in id inquiram: num adsint rationes sufficientes, quibus probari possit, miraculis christi inesse sensum mysticum, typicum speciatim: deinde, vt ostendam, quænam miracula typicis adnumerari queant, ac quædam addam de sententiis, hic non admittendis. Prius quod attinet, quæstio hæc ideo instituitur, quia nouum foedus, per christum factum, aliam, ac vetus, typis plenum, præ se habet indolem; vt autem ista rite explicetur, argumenta, quæ pro mystico ac typico miraculorum christi sensu ab aliis adlata sunt, recensebo ac postea, quæ ad soluendam quæstionem facere videntur, adferam. Præ reliquis, mysticam horum miraculorum rationem adfirmarunt ac rationibus firmare, studuerunt viri celeberrimi: FRID. ADOLPH. LAMPIVS, c) CAMPEGIVS VITRINGA d) ac IO. IAC. RAMBACHIVS. e) Latere in iis sensum mysticum, varias ob rationes cum istis adserit vir, vltimo loco laudatus. Prouocat primum ad symbolicam et dicendi et agendi rationem, christo consuetam, quum in concionibus et frequentissime et sapientissime vsus fuit parabolis, latius sic dictis, f) et actio-

nes

c) in *prolegom. ad comm. in euang. Ioannis* p. 273.

d) libro, iam supra indicato, de *miraculis iesu christi, cap. I. §. 14.* quo miraculorum seruatoris mysticum sensum eruere studuit.

e) *comment. herm. de sensus mystici criteriis* §. 5. p. 21. qui antea eandem rationem mysticam in euentibus insignioribus vitæ iesu christi locum inuenire, adseruit, p. 18. licet ipsi BELLERSHEIMIVS atque DEV-SINGIVS non probauerint labores suos mysticos. Eundem quoque my-

sticum sensum certum statuit celeb. LAVRENT. KEINHARDVS in *comm. de reâ theologiæ thaumaturgicæ constitutione*, firmissimis, prout de se testatur p. 9. fundamentis innixus; quæ tamen indicare, ipsi non placuit.

f) quemadmodum concionandi ratio per parabolas, a christo adhibenda, *psalm. LXXVIII, 2.* prædicta fuit; ita vsus etiam est parabolis et frequenter, vt patet ex *Matth. XIII, 34. Marc. XV, 33. 34.* nec non sæpe a sacris scriptoribus adductis exemplis, et sapienter, quum ingeniis auditorum

torum

nes sæpe instituit, sublimius quid significantes, a quibus et ad alias concludere liceat. Deinde obseruat, quod solemne sit prophetis, in describendis beneficiis, a messia in homines conferendis, eiusmodi vti loquendi rationibus, quæ a miraculis saluberrimis, a christo perpetratis, desumptæ sint, atque ita arctum, qui inter vtraque, beneficia et miracula, intercedat, nexum ac illorum per hæc significationem factam adparere, cuiusmodi exemplum euidenter occurrat *Ies. XXXV, 6. 7.* Præterea ea nititur ratione, quod christus ipse interdum de miraculis instituerit explicationem ac mysticam illorum rationem clare indicauerit; quorsum et testificatio adumbrationis beneficii spiritualis et euentus futuri de colligenda ecclesia, *Io. IX. Luc. V.* per miracula ista pertineat. Quibus subiungit, in eo consensum futurum præsumendum esse, speciale istud miraculorum obiectum, morbos nempe tot ac tantos, a seruatore curatos, imagines fuisse ac designasse cum morbos animæ mortaliumque miseriam spiritualem; tum medelam eorum ac sanitatis sanctioris restitutionem, a christo possibilem redditam ac vni-

H 2

ce

torum, talibus repræsentationibus adfuetis, sese accomodaret. Nec istis sic celare voluit veritates ac obscuriores reddere: quin potius clariores efficere per parabolas, vti bene sentit *HIERONYMVS comm. ad Matth. cap. XVIII.* Quod præterea egregie confirmant verba, locis difficilioribus adnumerata, *Marc. VI, 11. 12. Luc. VIII, 10.* secundum eam interpretationem, quam post anonymum in *obs. Halens. tom. X. obs. 3. p. 16.* fuisse vir doctiss. *AUGVST. GESENIUS* in *sing. diff. de verbis his habita nuperrime, vbi partim coniunctionem *vix* tum pro *si*, quando usurpari et ex sacra scriptura et pro-*

fanorum: *HOMERI, CALLIMACHI* et *ARISTOPHANIS* monumentis ostendit; tum etiam vocum *quoniam, quia* habere significationem, parem in modum probat, et admittit vltimam significationem ob locum parallelum *Matthæi* ac versionem Syriacam, vt causam scilicet denotet impulsivam, partim *μὴποτε* conuertit per *num, forte*, vbi omnia bene conspirant. Ceterum de parabolis et harum vsu conferri poterunt: *IO. VORSTIVS philol. sacr. part. I. p. 109. DOUGTAEVS in anal. noui test. p. 18. IO. MARCKIVS in syll. diff. exerc. IV. SALDENVS otior. theol. libr. IV. exerc. 5.*

ce ab eo expectandam. Ex rationibus his primum patet mysticæ miraculorum christi rationis probabilitas, nisi excipias ea, vbi ex disertio testimonio præsentiae existentiam probari posse, certum est, ac mysticam hanc rationem in eo potissimum consistere, vt miracula; siue mutationes supernaturales, in regno naturæ factæ, hincque corporales designauerint similes mutationes in regno gratiæ hocque nomine spirituales producendas, præsertim si conferatur *Matth. VIII, 17. cum Ies. LIV, 4. g)* Perspicuum itaque ex eo est, allegorici potissimum sensus præsentiam *b)* probabilem reddi admodum; sed tamen generatim tantum. In casibus enim singularibus ex legitimis rationibus existentia probanda est, nisi frustra et male distinguatur inter sensum illatum atque innatum, et accommodationes venditentur pro sensu vero. Hinc et, si sensus iste illatus pro principio adsumitur, ex eo veritates fidei deriuandi, vti eiusmodi sensus tantum infertur, adparet, quod haud sit adfirmandum, veritates, ex isto deductas, ex ipsius scripturæ fonte manare easque esse consequentias legitimas loci explicati, quum principia, e quibus illæ deriuantur, verum istius sensum minime constituunt.

§. XXV.

Præter adducta, alia a viris doctis adferuntur argumenta ad probandam typicam miraculorum christi rationem; ea

g) conf. ad hunc locum *GVIL. SVRENHVSII βίβλος καταλλαγῆς p. 222.* vbi de formula allegandi, quam adhibet Matthæus: ὅπως πληρωθῆ τὸ ῥηθὲν, respondente: לקיים שמעך obseruat, eam adhiberi, si istud, quod probandum veniat, non disertis verbis adferatur; sed e sensu colligi debeat, vti hic species

morborum, quam Matthæus nominat, non determinata sit a Iesaja: conf. ceterum *ALEX. MORI adnotat. ad Ies. LIII. et HERMANN. WITSIVM melet. Leidens. exercit. 3.*

b) et hunc solum, vt dicam, quod res est, miraculis Christi inesse ac rationibus adductis inniti, putat *RAMBACHIVS l. c. §. V. p. 23.*

ea tamen esse sufficientia, haud adfirmari potest. Nam I) argumentum, ab eo deductum, quod christus, fœderi Sinaitico subiectus, ad illustres personas typicas eiusque historia ad veteris testamenti schema typicum pertinuerit, non satis firmum est, quia, ipso veniente, umbras cessasse, testatur Paulus; ad quas tamen omnes res eius factaque pro hac hypothese referri deberent, totusque vitæ cursus, quem in his terris instituit, euaderet typicus; id quod tamen minime admittendum est; nec omnia, quæ tempore veteris testamenti contigerunt, typis adnumerari possunt: II) analogia inter euentus et sapientiæ effectus in regno gratiæ ac naturæ ad rem probandam plane non sufficit, prout obseruatum iam est, si sola illa adest: III) conclusio a miraculis virorum diuinorum, typicos suos habentibus fines, ad miracula christi, quæ ista longe superant, i) haud valet, quum hæc illorum ratio a typica veteris testamenti σχέσει deriuanda est; a quo tamen noui testamenti indoles plane differt. Nec omnibus prioris fœderis miraculis sensus typicus attribui potest. Inter alia carêt isto miraculum solis, quum illius cursus ad speciem interruptus fuit, *Iof. X.* absente nimirum omni scripturæ testimonio; aliorum autem supra iam mentionem feci: IV) argumentum sumitur a voce σημείων, miraculis christi aliquoties tributa, quando ista habuissent vim significandi, atque obseruatur, quod vox illa adhibeatur de extraordinario futuræ rei indicio, *Matth. XVI, 3.* de typo, *Matth. XII, 39.* *Luc XI, 29.* ac respondeat Hebræorum מֵיִן prout horum מֵיִן Græcorum τέρατι, *Deut. IV, 34.* *VI, 22.* *VII, 19.* *XI, 3.* *Psal. CXXXV, 9.* prætereaque nominentur miracula christi σημεῖα καὶ τέρατα, *Iob. IV, 48.* Sed quum miracula quæuis sint signa missionis diuinæ, et ea, quæ

H 3

chri-

i) ita interdum id, quod nimirum est, admittunt: VITRINGA, LAMPIVS, RAMBACHIVS et alii.

christus patrauit, summo iure hoc nomine insigniantur, ac miracula apostolorum ita quoque adpellentur, *act.* V, 12. VI, 8. VIII, 6. 13. vocabulo sane σημείων finis exprimitur generalis, qui est diuinæ missionis probatio. Præterea, vti concludi non potest: quia παραβολή, *Hebr.* IX, 9. *typum* significet, eam ob rem et alibi significationem hanc vocis obtinere; sic etiam ex eo, quia in locis allegatis σημείον *typum* indicat, haud sequitur, eandem cum hac voce notionem in aliis quoque locis coniunctam esse, quippe quæ in variis his locis per nexum ac imprimis per ipsum, εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα, additamentum satis determinatur. Breuibus iam nunc expediri poterit id, quod ad solvendam quæstionem, antea prolatam, spectat. Ante reliqua, quod ex antecedentibus patet, obseruandum est, cum per *typos* hic intelligi facta noui testamenti, quæ futura et beneficia et iudicia diuina ipsiusque ecclesiæ noui testamenti fata adumbrarunt; tum eorundem constitutionem conuenire virtutibus diuinis sub noui fœderis œconomia; ita tamen, vt et pauciores *typi*, ob excellentiorem œconomiae huius indolem, & sub illius initium sint constituti, ac vt eorum diuina ordinatio in libris noui testamenti relata sit, necesse est. Iam si de miraculis christi instituitur quæstio: num illa fuerint eiusmodi *typi*? et consideratur: I) quod ipse vi propria ediderit miracula, in se ad scopum *typicum* apta, quibus iam antea eundem in finem vsus fuerat Deus: II) quod ipsi scientia rerum, in ecclesia, ab ipso fundata, futurarum optime instructo, conuenientissimum fuerit, istas factis suis admirandis præsignificare illaque eo simul dirigere, nec tantum verbis; sed etiam factis vaticinari: fines varios simul obtinere, sicque sapientiæ bonitatisque infinitæ gloriam amplificare: III) quod vsitatum fuerit ipsi, ex causis sapientissimis eam et loquendi et agendi rationem inire, vt repræsentationibus aliis
alias

alias designaret, omnino his de causis possibile non solum; sed et probabile est, miracula Christi typicam habuisse rationem, sicque adfunt argumenta, quibus miraculorum, a christo perpetratorum, mysticæ, speciatim typicæ, rationis probabilitas nititur. Accedit deinde, quod criteria, et interna et externa, ac rationes, finem determinantes, supra adductæ, k) quæ ad præsentiam omnis sensus mystici probandam ac ad ipsum sensum determinandum sufficiunt, hic quoque ad eandem rem declarandam et confirmandam sufficere debeant. Quum autem de miraculis, quæ christum auctorem agnoscunt, generatim haud adferi potest, quod in illis typicus sensus insit, quia deest testimonium scripturæ, quo illud certum reddatur, et finem horum miraculorum generalem non fuisse typicum, constat, de iingulis, quibus sensus typicus tribuitur, probatio hæc institui atque ostendi debet, quod ad intermedium specialem; vel primarium; vel secundarium miraculi finem pertinuerit typicus hic respectus.

§. XXVI.

Ad alteram iam tractationis partem accedendum ac de iis seruatoris miraculis, quæ rationem habere typicam, secundum modum antea explicatum, probari posse, videtur, edifferendum est. Referendum huc esse miraculum ficus illius arefactæ atque a christo diris deuotæ, vt rite probetur, operam dabo. Occurrit illud *Matth.* XXI, 18. 19. ac *Marc.* XI, 12 - 14. resque postulat, vt inuestigato paucis sensu immediato ac litterali, mediatum ac mysticum illius ostendam. Narrationem huius miraculi, a Matthæo factam, si spectamus, duabus ista absoluitur partibus, quarum altera circumstantiæ, factum hoc præcedentes, referuntur; altera vero ipsum factum; siue miraculum exponitur. Ad nexum ac scopum huius narrationis quod attinet, dicto

k) *paragraph.* XXIII.

dicto capite initium fit relationis eorum a Matthæo, quæ diebus quinque vltimis ante passionem Domini contigerunt, factorum nimirum diei primi ac secundi illius hebdomadis v. 1-19. tertii autem diei gestorum enumeratio, v. 20. incepta ac XXVI, 14. demum finita est. Sectione priori in percensendis diei primi gestis eiusque altera parte sic versatur scriptor, diuinitus inspiratus, vt solemniferuatoris in Hierosolyma ingressu memorato, v. 1. - 11. reliqua huius diei facta enarret, v. 12 - 17. primum videlicet templi, in quod statim ingressus erat, vendentibus expulsis, purgationem, 1) v. 12. 13. deinde hominum, miseris morbis adfectorum, sanationem miraculosam, v. 14. porro horum pariter ac votiuarum infantum exclamationum contra inuidiosas pharisæorum, propter eas male se habentium, contradictiones & defensionem v. 15. 16. ac denique reditum Bethaniam, vespertino tempore factum, v. 17. Altera sectionis parte Matthæus sequentis diei factum memorabile de ficu, a christo arefacta, refert, ita vt, indicatis momentis historicis his verbis: *πρωΐας δὲ ἐπανάγων εἰς τὴν πόλιν, ἐπεΐνασε. καὶ ἰδὼν συκὴν μίαν ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, ἦλθεν ἐπ' αὐτήν, καὶ οὐδὲν εὗρεν ἐν αὐτῇ, εἰ μὴ φύλλα μόνον, ἰψὸν ἐκρονάτο μίρακλον: καὶ λέγει αὐτῇ. Μηκέτι ἐκ σοῦ καρπὸς γένηται εἰς τὸν αἰῶνα. καὶ ἐξηράνθη παραχρῆμα ἡ συκὴ.* In explicando hoc facto quum singularem posuerunt operam: SEBAST. SCHMIDIUS, m), SAL. DEYLINGIUS, n) HERMANN. WITSI-

1) secunda hæc erat templi purgatio, quam sequebatur tertia postero die, de qua *Marc. XI, 15. 17.* agitur. Non necessarium est, cum SEBAST. SCHMIDIO dicere, Matthæum ob adhibitam anticipationem verba sic posuisse, quum vtraque templi purgatio distincta sit, de qua re conf. SANDHAGENIUM in *epist. theol.*

dec. I. p. 28., nec non RUSIUM *harm. euang. part. III. p. 105.* Nec contradicit verbum ἀρχεσθαι, a Marco adhibitum.

m) *fasc. diff. theol. philol. diff. XIII. p. 717.*

n) *observation. sacr. part. III. p. 277.*

WITSIVS, o) IO. HENR. HEIDEGGERVS, p) FRID. RO-
LOFF, q) CHRIST. HOFMANNVS r) aliique, s) breuiter
rem enarrare potero.

I. Ad historicas itaque quod attinet circumstantias:

1. *temporis* circumstantia indicatur voce *πρωίας*, vbi
vocabulum *ώρας* vel absolute; vel adiecto præterea parti-
cipio: *γενομένης*, supplendum est ex *Marc. XI, 11.*, coll.
Matth. XX, 8. Ita a Matthæo speciatim certa diei pars
exprimitur; generatim autem id fit apud Marcum, voce
τῆ ἐπείρου, ac ab utroque addita particula *δὲ* indicatur,
quod factum eiusque, quæ sequitur, narratio ad diem se-
quentem pertineat. Ipse hic dies vndecimus fuit mensis
Nisan, quum decimo præcedenti in urbem esset ingressus
seque illustrem præstitisset antitypum agnorum, quorum
ad celebrandum passah destinatio hunc in diem mandata
erat, *exod. XII, 3.* coll. *1 Cor. V, 7.* *1 Petr. I, 19.* Eiusdem ve-
ro diei *ὁψίας ἤδη ὄυσης*, *Marc. XI, 11.* postquam discesserat
Hierosolymis, nunc ad id se accingebat, vt strenuum et indefes-
sum legatum Dei, cuius voluntatem libenter exsecutus est,
se præberet eaque, quæ in docendo ac reprehendendo ne-
cessaria supererant, absolueret, priusquam magnum et ar-
duum istud passionis conficeret negotium:

2. *loci* designatio, vbi contigit factum ficus maledictæ,
sic descripti, vt

a. *terminus a quo* notetur, voce: *ἐπανάγων*, *reuertens*,
rediens, ex Bethania nimirum, vbi pernoctauerat v. 17.

I

No-

o) meletem. *Leidens. exercit. X.* p. 403.

p) *diff. ad theol. dogm. tom. III.*
p. 687.

q) *diff. de ficus imprecatione.*

r) *de ficu arbore, philol. con-*
siderata: add. SIMON. EPISCOPIVM
tom. I. oper. part. II. p. 7. seqq.

s) de quibus conferri poterunt
cel. WOLFIVS *cur. philol. et crit. in*
Marc. XI, 13. p. 502. atque LILI-
ENTHALIVS *in dem biblischen ar-*
chivario neuen test. p. 98.

Notum est, Bethaniam fuisse vicum, XV. stadiis ab Hierosolymis distantem ac adiacentem parti alteri oliuarum montis, qui tractus ideo nomine quoque *Bethania* insignitus fuit; altera autem montis pars *Bethphage* vocata est, quæ ad Hierosolyma vsque protensa erat hincque etiam pars confinis; seu extrema platea dictæ vrbs *Bethphages* nomen habebat atque ex vico Bethania urbem petentibus patebat via per Bethaniam et Bethphagen. *t*) Vtraque ab arboribus frugiferis, quas alebat, sic denominata est, et quidem posterior ob פגי grossos ficusque ibi nascentes. Quod si conferatur *Luc. XXI, 37.* et *XXII, 39.* vbi κατὰ τὸ ἔθος montem hunc christus adiisse memoratur, eo fine, vt preces funderet; id quod alias ipso hoc loco faciebat, *Luc. VI, 12.* non improbable est, terminum a quo montis illius partem fuisse, quam præcedenti die adierat, ibique infomnem fere noctem, Deo commendando magnum illud redemptionis opus, consumsisse. Cui accedit, quod ἀυλίζεσθαι et apud profanos et apud sacros scriptores proprie et plurimum *stationem habere sub cælo* significet, *Luc. XXI, 37.* Vox ἐξελεθόντων, quam Marcus adhibet, indicat, christum comites habuisse, qui in exitu ex vrbe ac in aduentu Bethaniam ipsi adfuissent, quod manifestum est ex v. 11. apud Marcum, vbi egressum eum esse μετὰ τῶν δώδεκα, narratur, sicque indicatur, satis magnum fuisse numerum virorum bonorum, fide omnino dignorum, qui testimonium de facto subsequenti edere potuissent.

b.ter-

t) fusius de situ horum locorum disserunt: IO. LIGHTFOOTVS, tum in *chron. temp. et ord. text. noui testam. tom. II. oper. p. 44.* tum in *chorogr. Matth. præmiss cap. XXXVII de ביה פגי et cap. XLI. de ביה פגי* ADRIAN. RELANDVS in *Palestin.*

libr. III. p. 629. adde IO. REINHARD. RVSIUM tam in *harm. euang. tom. III p. 44.* quam *diff. de Iudæa, rebus gestis christi clara p. 13.* vbi et contra eos disputatur, qui negarunt, duplicem Bethaniam esse statuendam.

b. *terminus ad quem* diferte his verbis significatur: εἰς τὴν πόλιν, illam nimirum, κατ' ἐξοχὴν urbem dictam, proximam termino a quo, quam, licet ea esset ingratiſſima, de-
 nuo visitabat, adfectu misericordiae tenerrimae, *Luc. XIX,*
 41. pariter ac indignationis iustiſſimae motus, atque in
 ista et nunc officiis doctoris caelestis pro eius statu exacte
 satisfaciebat, ita vt postquam interdium in ista commoratus
 erat, nocte εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἔλαιῶν se reciperet. Ex
 utroque hoc itineris termino locus, vbi patratum fuit mi-
 raculum, facili negotio colligitur, in tractu videlicet, *Bethpha-*
ge vocato, ficibus abundanti. Sequitur

3. *Occasionis* facti miraculosi commemoratio, quae a
 scriptore sacro duplex enarratur:

a. *remotior*, quae rationem continet propioris ac
 exprimitur verbo: ἐπείνασε. Πεινάειν omnem denotat ad-
 petitionem nutriendi mediorum, ex ingrata sensatione eo-
 rumdem absentiae ortam, *Marc. II,* 25. *Matth. XII,* 1. *Luc. VI,*
 7. quae omnino ad infirmitates corporis praesentis ac ψυ-
 χικοῦ, *1 Cor. XV,* 44. seqq. demum ad meliorem formam
 redigendi, pertinet, quam et seruatorem sentisse, narratur
Matth. IV, 2. *Luc. IV,* 2. post magnum istud ieiunium ex-
 actum, quaeque, si generatim spectatur, conueniens ipsi o-
 mnino fuit, quum et ipse fuerit similiter, ac nos, carne ac
 sanguine praeditus, *Hebr. II,* 14. missus carne fontis similis,
Rom. VIII, 3. per omnia fratribus similis, vt misericors fie-
 ret fidusque pontifex, *Hebr. II,* 17. in omnibus similiter
 periclitatus, ac nos, citra peccatum, *IV,* 15. et pro statu
 exinanitionis, sumta seruili forma, tactus hominum similis
 et figura repertus, vt homo, *Phil. II,* 7. Nec, vbi res hoc in
 casu speciatim consideratur, vlllo modo fames eum dede-
 cuit, si tantum perpendatur, quod praeter ordinariam cibi
 adpetitionem ab euangelista nihil referatur; nec ratione tem-
 poris occurrat quidquam extraordinarii. Sane famem hanc

admodum fuisse naturalem ac ordinariam, haud obscure patet, si praeter triplicem diei, ab Hebraeis factam, diuisionem, in mentem reuocatam, expendere velimus, seruatorem optimum, tot negotiis exhaustum totque confectum ærumnis, die præcedenti Bethaniæ, vbi sanguine sibi iunctos habebat, vel certe non magno; vel prorsus nullo conuiuio exceptum fuisse, ac præterea, prout iam obseruatum est, vero simile est, eum et hanc noctem, a die illo magno, quo mortem subire debebat, non longe distantem, precibus ac supplicationibus Deo, cum vehementi questu ac lacrimis, libatis *Hebr. V, 7.* consumsisse. Sic certe non mirum erit, quod in ediam passus, refectioem quæsiuerit. Vnde consequitur, et superfluum esse, si hanc eius famem vel simulatam; vel ex peculiari dispensatione œconomiam, vt cum patribus loquar, u) fuisse statuatur, et improbum ac futile, si voracitas fingatur: x)

b. *propior* occasio, quæ in eo posita fuit, quod frustra fructus in arbore conspecta quæsiuerit, ita indicata: καὶ ἰδὼν συκῆν μίαν ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, ἦλθεν ἐπ' αὐτήν, καὶ οὐδὲν εὗρεν ἐν αὐτῇ, εἰ μὴ φύλλα μόνον, vbi:

a. *inuestigatio* horum fructuum notatur: καὶ ἰδὼν συκῆν μίαν ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, ἦλθεν ἐπ' αὐτήν.

N. *obiectum reale*, quod fuit συκῆ, frequens et in hoc, vbi nunc versabatur, loco, quam duplici modo describit: 1) per vocem μίαν, quæ plerumque indefinite sumitur

u) pertinet huc præter ORIGENEM, CHRYSOSTOMVM, EUTHYMIVM, THEOPHYLACTVM, AVGVSTINVS *libr. I. quæst. euangel. quæst. 68. ac sermon 74. de tempore* GREGORIVS M. *libr. VIII. epist. 42.* nec non EVSEBIVS *Emiffenus* ac alii: conf. SCHMIDIVS *loc. cit. §. 13.*

x) hac de causa persuasam sibi habet, ni fallor, ALPHONSVS TOSTATVS simulatam christi ignorantiam, quia, nisi hæc admitteretur, christo voracitas esset tribuenda; sed fallitur, quum et tertium adhuc dari, probatum est,

mitur et Latine redditur per: *quamdam, aliquam*; rectius autem videtur definite illa intelligenda et explicanda esse per: *unam, solam, y)* ut illius singularis ac præ ceteris conspicua ratio designetur, quod diserte fit apud Marcum his verbis: ἔχουσιν Φύλλα, unde et arborem hanc adiit solam: 2) additur: ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, *iuxta viam*: declinavit a via, quemadmodum ἐπὶ sæpe adhibetur.

3. *Christi erga hoc obiectum relatio*, dupliciter expressa: 1) per vocem εἶδον, *adspexit*, arborem videlicet hanc et quidem, Marco teste, μακρόθεν, quod si cum Matthæi et Marci præsertim verbis conferamus, patet, nisi, quod absit, verba illa: ἔχουσιν Φύλλα, sine causa posita esse, contendatur, indicari, et arborem hanc iam tempore, minus ordinario, speciem fructuum præ se tulisse, signisque eorum præsentia probabilis præditam fuisse; ipsam autem hanc foliorum luxuriam rationem esse, cur christus illam, e longinquo conspectam, a reliquis distinguere potuerit atque ad eam accesserit; reliquas autem vel prorsus nullis; vel non tantis foliis præditas fuisse, hincque christum iure a præsentia foliorum, quibus hæc superbiebat, ad fructuum præsentiam probabilem conclusisse, quum arbor hæc fructus suos ante folia præbeat: 2) verbis: ἦλθεν ἐπ' αὐτήν, ex quibus patet primum: accessus huius causas mouentes fuisse famem antecedentem et arboris conspectum, quæ spem faciebat, fore, ut in ea inuenirentur remedia ad illam reprimendam: deinde, christum voluisse in arbore hac fructus ad famem sedandam inuestigare, quod manifestum est ex ipsius famis: arboris conspectus ac declinationis a via coniunctione: ex diserto denique Marci testimonio: εἰ ἄρα εὐρήσει τι ἐν αὐτῇ.

I 3

Vn-

y) sic sæpius obiectum quoddam determinari, de quo aliquid prædicatur κατ' ἐξοχήν, siue per eminentiam, patet ex *Matth. XIX, 17. XXIII, 9. 10.*

Io. VIII, 41. I Cor. IX, 24. conf. DANIEL FESSELIUS in aduersar. sacr. libr. X. cap. II. p. 523.

Vnde iam consequitur, ignotum ipsi fuisse, arborem fructibus carere. Haud itaque valet sententia, qua, ignorantiam simulasse christum, statuitur, et ad ea, quæ istam stabilire videntur, argumenta responderi potest: immo iam responsum est. Quod attinet enim ad primum argumentum, œconomiam nimirum ac mysterium hic intentum, ne de circulo quid dicam, qui sic committitur, ob mysticum sensum, adsumtum ac nondum probatum, sensus literalis nec turbandus; nec negligendus est. 2) Secundum argumentum, quod maiorem speciem præ se habere videtur, sumitur ex istis Marci verbis: a) *ὅτι γὰρ ἦν καιρὸς σύκων*, ibi autem tantum de ficibus ordinariis sermo esse potest. Quo posito, corrumpitur argumentatio, quam ex his verbis, ad firmandam sententiam, ita instituunt: aut christus ignoravit, tempus esse ficuum; aut notum ipsi fuit, atque observant, quum prius non concedi posset, nisi ignorantiam argueretur servator, nec puero condonandæ, posterius admitti debere, sicque adesse ignorantiam simulatam ob œconomiam. Nam existerunt quoque ficus extraordinariæ, quæ præter tempus ordinarium fructus tulerunt. Harum tempus adfuisse, quo scilicet ficus eiusmodi præbuerint fructus, implicite adseritur a Marco. Hoc ipsum notum fuisse servatori atque ex earum numero et hanc ficum esse, ad quam accesserat, ille coniectere potuit; sic vero negatur consequentia. Hanc vero ficum pro tali, extraordinariæ videlicet indolis, a christo habitam esse, haud obscure indicant et quæ præcedunt, et quæ

2) sic enim sentiunt patres, iam nominati: MALDONATUS, CALVINUS forsitan et alii, quibus occurrunt SEB. SCHMIDIVS *loc. cit.* §. 17. qui tamen vocem *parabolæ*, qua hic utuntur quidam horum scriptorum, strictius sumere videtur, ac illi, per

illam mysticum quid intelligentes; mox allegoricum; mox vero typicum.

a) varias horum verborum explicationes studiose expositas habes a SCHMIDIO *loc. cit.* §. 19. seqq. et cel. WOLFIO *cur. philol. et crit. ad Marc.* XI, 13.

quæ sequuntur in hac scriptorum diuinorum narratione. Adparet id cum ex ipsius arboris ratione, quæ erat vnica, *Φύλλα ἔχουσα*, a ceteris multis distincta, quæ licet paria habuisse folia, concedatur; hæc tamen nec tot; nec tanta fuerunt; tum ex saluatoris sapientissimi actione, quum a via declinaret ac fructus quæreret et arborem ob spem, frustra conceptam, diris deuoueret. Quodsi adsumatur contrarium, ficum non fuisse extraordinariæ conditionis, male certe auctoritati christi consulitur, quum simul adfirmatur, adserta nimirum ignorantia simulata temporis ficuum ordinarium, risum mouisse christum comitibus, quum istos relinquens, arborem peteret fructusque quæreret, et indignam certe sui ipsius excitasse ideam, isti fructus reddenti dirum illud occinendo carmen. Ipsam extraordinariam arboris huius rationem vt determinarent, in eo multi operam posuerunt. Vt paucis rem dicam, non nulli pro ficu pugnant, quæ vel per hiemem relictos ac superstites habuerit fructus quosdam; vel grossos ac præcoces istius anni tulerit: *b)* alii pro ficu, quæ fructus, quouis anno genitos, tertio demum perducit ad maturitatem, *c)* quamuis neutrum commode hic locum habeat. Alii denique putant, intelligendas esse ficus, quæ bis per annum fructus exhibeant: altera vice præcoces: altera serotinos, ac pro prioribus, in sacra scriptura *בכרות* vocatis, rationes adducunt, sumtas partim ex ipsis sacris litteris, in quibus fru-

b) itaque secundum has sententias fructus statuuntur extraordinarii arboris ordinarie; quæ vero illis contraria sint, protulit SEB. SCHMIDIVS *loc. cit.* p. 766. licet argumentum, quod profert, responsionem nimirum illam haud congruere cum verbis Marci, minus sit graue

c) hinc arboris extraordinarie fru-

ctus fuisse, adfirmatur, ordinaris, ita, vt ista fuerit ex *בכרות שורה* quæ est sententia viri celeberrimi LIGHTFOOTI in *horis Hebraic. ad Matth. XXI.* ac *chorogr. Matth. præmiss. cap. LXXIV.* suis quoque obnoxia difficultatibus propter temporis præsertim, cum re non congruentis, rationem: *conf. SCHMIDIVM p. 771. seqq.*

ctus isti nomine hoc insigniantur, *Ierem. XXIV, 2. Hof. IX, 10.* vbi apud LXX. est *σῦκον ἐν συκῇ πρώιμον*, ac tempus earum denotetur *Ies. XXVIII, 4. כַּטְרָם קִיץ, כַּכּוּרוֹה* partim ex Talmudistarum testimoniis, a SEB. SCHMIDIO memoratis, ex quibus obseruat, patere, tam mense sciebat incepisse annum fructuum arborum *d)* ipsoque hoc mense, ianuario respondente, a die eius decimo quinto ficus folia non solum; sed et grossos habere potuisse; quam praesertim existisse eiusmodi biferarum ficuum genus, a Gemaristis *ריופרא* dictum, quae siluestres potissimum fuerint publici iuris, hincque a decimatione liberae ac mense Nisan fructus, maturitati saltem vicinos, habere potuerint. Id quod confirmaretur PLINII testimonio, *e)* qui referat, earundem fructus cum messe, a paschate iam incipiente, ac vindemia maturescere. Quae quum quadrent in ficum hanc, eo tempore a christo e longinquo conspectam, illam pro bifea iure a christo habitam esse, adseritur. *f)* Praeterea ficus omnino hoc iam tempore reperiri potuisse, et ex recentioribus patet. *g)* Probabilis certe euadit sententia de ficibus eiusmodi extraordinariis, quae illius fuerunt anni pra-

d) istud scilicet tempus, quo multae saltem arbores iam gemmas, flores, immo folia protruserint, qua in re testimonio *tr. Rosch baschanab* ac Gemaræ *Hierosolymitan.* nititur SCHMIDIVS p. 776.

e) *histor. natural. libr. XV. cap. 18. XVI, 27.*

f) quae fusius omnia SCHMIDIVS *dict. loc.* exponit §. 24.

g) quam in rem prouocare liceat ad THOMAM SHAWIVM, e cuius *travels or observations relating to several parts of Barbury and the leuant,*

quae Oxoniae cl. 1700 cccc xxxviii prodierunt, *part. II. sectiones IV.* conuersae habentur in *der algemeinen Welt-historie*, vbi *tom. II. sect. IV. §. 26. p. 631.* obseruat, quod licet tempus, maturitati earum ficuum, quas *Bocco-ren* adpellat, destinatum, incidat in iunium mensem; quasdam tamen et prius fructus ferre, omnino admitti possit: deinde et istas, quas ficus nominat *hiemales*, si hiems existat mitior, ad verem vsque insequentem in arbore remanere, sicque in arbore, multa pollicente, fructus vel generis prio-

præcoces ac בכורות, quam ficum pro bifera reputant præter SEB. SCHMIDIVM, HENR. HAMMONDVM ac IO. CLERICVM, HERM. WITSIVS, IO. HENR. HEIDEGGERVS ac THOM. BROWNIVS; alii vero pro tali habent, quæ ter per annum fructum tulerit. Vtroque enim adsumto, ipse aderat fructuum vel maturorum; vel maturefcentium, ob signum foliorum præfens. Longe itaque a veritate abest, quod vel locum hic habeat ignorantiae simulatae incusatio; vel Marcus arborem excusare velit, quum ratio adesset expectationis sufficiens ac prudentissima; ipse vero Marcus rationem potius omnis, a christo susceptæ, actionis indicare eamque, singulari ipsius arboris conditioni innixam, ex ista deriuari velit, sicque verba: *οὐ γὰρ ἦν*, pro scopo scriptoris referri omnino debeant ad ea, quæ mediate præcedunt, ita nimirum: *καὶ ἰδὼν συκῆν μακρόθεν ἔχουσαν φύλλα, ἦλθεν, εἰ ἄρα εὐρήσει τι ἐν αὐτῇ· οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων*. Qualis traiectionis exemplum evidens habes itidem apud *Marcum*, XVI, 3.4. (b) vbi omnino ad verba: *τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου*, v. 3. referenda sunt ad ea, quæ sequuntur v. 4: *ἦν γὰρ μέγας σφόδρα*, sicque sensus verborum Marci hic est: arborem hanc facie sua externa christum ad id adduxisse, vt pro maturiori istam haberet ac fru-

K

ctus

prioris; vel posterioris se inuenturum, conicere christum potuisse. Huc quoque referri potest testimonium FITTON. DE TOURNEFORT in *voyages du Levant tom. I. lettre 8. p. 130.* qui factò discrimine inter *figuiers sauvages* et *domestiques*, triplicem prioris generis fructuum recenset speciem ac tempus maturitatis determinat, *foruites*, scilicet, qui paroissent dans le mois d'aout et durent iusques au novembre; deinde *cratitires*, qui ne se montrent, qu'à la fin de septembre, ce-

ter. et restent sur l'arbre iusques au moi du mai; quo denique in mense la troisieme espece commence a pousser sur les memes pieds de figuiers sauvages, qui ont produit les autres ceter. qui se nomme orni. Sic hic quadraret species secunda, *cratitires* dicta, nisi cum SCHMIDIO de reliquiis ex anno præterito sententia, antea adducta, reiiciatur.

b) iisdem Marci verbis vtitur ad stabiliendam suam sententiam RICHARD. KIDDERVS in *demonstrat. messia part. II. p. 100.*

ctus præcoces se reperturum esse, crederet; ceteris fructus non pollicentibus, quum ferioris essent indolis, ac tempus, fructus ferendi, nondum adesset; nec proinde paribus, quæ spem facere potuissent, signis instructæ essent. Quæ quum scopo scriptoris conueniant, nec ἄλυτον τόπον hic quærere; nec aduentum Eliæ expectare, opus est.

β. *Euentus studii, fructus quærendi*, his verbis indicatus: καὶ οὐδὲν εὔρεν ἐν αὐτῇ, εἰ μὴ Φύλλα μόνον, vbi verbum εὔρεν, vt notio relatiua, supponit τὸ ζητεῖν, sicque significatur, præter folia, nihil fuisse repertum, christumque nec maturos; nec immaturos fructus, qui speciosæ huius arboris bonitati respondissent, inuenisse. Quibus in vnum collectis, ea prodit miraculi insequentis occasio: seruatore, famem sentientem, vt desiderio, ipsi admodum conuenienti, satisfaceret, fructus colligere voluisse ex arbore, quæ, e longinquo conspecta ac foliorum copia ac virore a reliquis se distinguens, spem huius finis obtinendi fecerat, factoque ab eo accessu, ne vllum quidem fructum inuenisse, sicque id, quod cupiebat, adsequi haud potuisse.

§. XXVII.

II. Ad *miraculum ipsum* quod attinet, verbis: καὶ λέγει αὐτῇ μηκέτι ἐκ σοῦ καρπὸς γένηται εἰς τὸν αἰῶνα. Καὶ ἐξηράνθη παραχρῆμα ἡ συκῆ, enarratum, illud ita proponitur, vt referatur:

1. *Effatum seruatoris*: καὶ -- αἰῶνα, vbi occurrit:

a. *scriptoris sacri observatio*: καὶ λέγει αὐτῇ, cuius loco Marcus habet ἀποκριθεὶς, quod, prout notissimum est, vti alibi; ita etiam hic *ordiri sermonem*: oblata occasione *loqui* indicat, qualis rei irrationalis adlocutio tum generatim animi denotat commotionem, Θεοπροπῶς, si illa Deo tribuitur, explicandam; tum eo quoque casu et hic, si ista *mandatum*, imperii summi in res creatas testimonium, continet, simul significat voluntatis determinationem, quæ apud creaturas rationales ver-

ver-

verbo ac mandato exprimi solet ac rationem continet mutationis omnis insequentis circa obiectum illud. Pari mandato facto, mare ventosque sedabat christus, *Marc. IV, 39.*

b. *Effatum ipsum*, quod destructionis huius arboris adnuntiationem complectitur, iis verbis: μηκέτι ἐκ σῶ καρπὸς γένηται εἰς τὸν αἰῶνα. καρπὸς quum id denotet, quod ex arbore ad usum qualemcumque hominum producitur, hincque cum γίνεσθαι coniungatur, conueniunt verba hæc cum illis, quæ habet Marcus. Argumentum itaque effati huius diuini ita potest exprimi: coniectura, quam habui, optime fundata, ac expectatio iustissima fructuum, ex te, arbor, capiendorum, quorum magnam præ te ferebas speciem, locum quum non habuerit, æquius certe nihil euenire tibi poterit ac conuenientius, quam vt remoueatur occasio, desiderium tuorum fructuum excitandi, quod explere non potes: detrahatur tibi itaque omnis succus, vt sic nec vumquam ope eius fructus, quibus et nunc cares, ferre; nec foliis, quæ sterilitatem abscondunt, amplius gaudere possis: vt porro, sterilitate a quocunque cognita, fato reserueris, quod arbores, bonos fructus non ferentes, manet, *Matth. VII, 19.* vtque occasionem simul præbeas, qua ex immediata euentus cum mandato coniunctione cognosci queat, infirmitates, quibus me obnoxium antea videri, passus sum, nullo modo defectum possessionis perfectionum infinitarum, quin potius ab earum usu abstinentiam sapientissimam declarare. Atamen nec vindictæ seruatoris decepti cupiditas inde colligenda est; nec illum pœnam arbori innocenti imposuisse, dici potest, (i) id quod nec scriptores sacri indicare voluerunt.

2. *Effati huius euentus*: καὶ ἐξήρανθῃ παραχρῆμα ἡ συκῆ.
K 2 Ζησαί-

i) in confutandis his obiecti- christus rem alienam adpetere eamque
tionibus pariter ac illa: quo modo perdere potuerit, versantur GVSSE-

T V S

Ξηραίνωμαι est *arefio*, *succum amitto*, *Iac. I, 11. Matth. XIII, 6.* ac vsurpatur de cessante omni fecunditate ac incremento cuiusuis, ex terra nascentis, quem ad modum his verbis seruator testatur: *διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα*, *Luc. VIII, 6. Παξαχρήμα*, *in ipsa re, illico, statim*, proprie denotat sectionem temporis, quæ nec minor constitui; nec fere a nobis concipi potest, dum relationem solummodo erga prius et posterius perspicere, nobis licet. Adhibetur ideo hæc vox de miraculis christi, *Luc. IV, 39. V, 25. VIII, 44. XIII, 13. XVIII, 43.* atque apostolorum, *act. III, 7. V, 10. IX, 18.* Mutationis itaque huius subitanæ ac admiratione dignæ rationem continebat seruatoris mandatum, in momento efficax, licet ariditatem arboris comites christi non prius; quam sequenti die, obseruarent atque arborem *ἐξηραμένην ἐκ ῥιζῶν* conspicerent. Ita effatum pariter, ac rei euentus supernaturalem facti huius rationem perspicue satis docet. Nam, indubia illius veritate historica præsupposita, manifestum est, nullam in eo adesse impossibilitatem absolutam, quum experientia quotidiana nos docet, arborem, succo atque humoribus destitutam, areferi ac diuersis modis id effici posse; impossibile autem esse ex hypothesi naturæ, partim temporis spatio, tam paruo, vt illud haud concipi queat, cuiusque partem maximam si quodam modo emetiri volumus, oculorum nutu exprimere solemus, humorem ac virorem in venis ac vasibus arboris, succi plenissimæ, ita consumi, vt talis insequatur mutatio; partim eandem, sola voce adhibita, quæ hic sola arefactionis continebat rationem, produci. *k)* Quum itaque
 sic

τ vs in *confutat. chissuk Emuna* ac vir summe venerand. *BAUMGARTEN* in *Auszug der Kirchengeschichte part. I. sec. I. §. 40.* qui quum multaseruatoris miracula a malitiosis et futilibus sæpe contradictionibus

breviter; at sufficienter defendat; sic etiam hic obiectionibus solide occurrit.

k) obiectio enim, quod ope sectionum quarundam, arbori illatarum, effici facile potuisset, vt arbor natu-

fic a legibus naturæ recedatur eiusque superentur vires, taleque factum in se tamen admodum sit possibile, viresque diuinæ ad omnia, quæ cogitari possunt, sufficiant, sequitur, vt factum hoc omnino ad miracula referendum sit, quæ pro diuina, qua pollebat, facultate edere poterat seruator optimus.

§. XXVIII.

Iam si in fines huius facti inquiramus, christum sapientissime potentiam suam adhibere voluisse, elucet. Quod si expendimus, partim, finem fuisse generalem non solum probationem missionis diuinæ ac fidem, apud homines excitandam; sed etiam fidei huius apud discipulos confirmationem, vt effectum miraculi huius, indicatam v. 20. 21. *Marc. XI*, 20. seqq. partim arboris inutilis remoti-
nem, - quæ ad consequentias huius actionis diuinæ pertinebat, omnino quoque ad fines esse referendam, licet sic comparata sit ratio hæc, vt ob eam solam a seruatore miraculum non editum fuisset, inde intelligimus, tam fines huius miraculi nobis manifestos esse; quam eos esse generalem tantum atque secundarium hincque specialem illius ac primarium, 1) qui indicatus non est ac latet,
K 3 legi-

naturaliter arefieret, falsa atque impia opinione, iesum innocentissimum, fraudibus locum dedisse, nititur ac nullius est momenti, quia per discipulos id effici debuisset, quorum causa omne hoc miraculum factum est.

1) admitti non possunt, qui rationem, cur christus susceperit miraculum hoc, in eo ponunt, quia arbor ista semper fuerit infrugifera; vel christus dominium suum in creaturas monstrare; vel miraculi ansam captare voluerit; aut alias proferunt ratio-

nes, a SCHMIDIO notatas *loc. cit.* p. 787. seqq. Finem, quem ipse SCHMIDIVS adserit, christum scandalum, quod ratione omniscientiæ accipere potuissent discipuli, omnipotentiae documento auertere voluisse, probare non possumus, quia partim christi discipuli de virtutibus eius diuinis satis conuicti esse poterant; partim vero, quum singularia exinanitionis præberet specimina, semper fuisset necesse, vt omnipotentiam suam monstraret. Nec ita finis specialis ac prima-

prima-

legitime inuestigandum esse. Inquisitionem hanc vbi nunc secundum criteria ac rationes, supra *m*) adductas, instituamus, finem istum specialem ac primarium typicum fuisse, haud obscure adparebit. Nam I.) quamuis factum hoc manifestauerit omnino christi potentiam, ac fides discipulorum confirmata fuerit; nondum tamen patet, quo modo actio hæc medium esse potuerit, summam seruatoris benignitatem ac sapientiam declarandi, quem ad modum istam miraculis suis semper manifestam reddidit, *act.* X, 38. quum de re, quam vt possibilem omnino præuidere debuit, indignationem testaretur, eaque motus arborem, non sua culpa sterilem, adlocutus modo supernaturali tolleret; præterea autem discipulorum fides huc vsque testimoniis clarissimis de perfectionibus christi diuinis pariter, ac per ipsius consuetudinem ac instructionem corroborata satis esset: immo si etiam his testimoniis inferuire debuisset, potentia potius doctoris, sæpius iam laudata; quam bonitas et sapientia seruatoris, admirabilis istis euassisset. Quum vero factum hoc non solum conuenientius perfectionibus diuinis; sed et euidentius euadat, si ratio illius mystica admittitur, hocque nomine mystica ista conditio ad legitimum facti vsum pertineat, patet, quod propter conditionem ipsam facti sit probabile, illius finem fuisse mysticum. II.) Accedit ratio repræsentationum ad designandas alias res idonea, si considerare velimus, non solum similes actiones, diuino mandato susceptas, fines habuisse typicos, vt *Ier.* XIII, 1. XIX, 1. 11. *Ezech.* IV. V, 1. seqq. legimus; verum etiam arbores, vitem ac ficum in primis et diuersarum gentium, præsertim iudaicæ, et hominum singulorum imagines exhibere, *Ezech.* XVII, 3. seqq. *psalm* LXXX,

primarius miraculi huius determinaretur, si diceretur, christum illo scandalum tollere ac discipulorum fidem

corroborare voluisse. Hoc enim spectat tantum ad finem generalem.
m) *paragraph.* XXIII.

LXXX, 9. 15. *Ies.* V, 1. 7. *Hof.* X, 1. *Ezech.* XIX, 10. *Ies.* X, 19. *Ezech.* XX, 47. *Hof.* IX, 10. *Ier.* XXIV, 2. 3. 5. 8. XXIX, 17. harumque et partes et varias condiciones humanis rebus respondere: radicem scilicet fundamento actionum, *Matth.* III, 10. I *Tim.* VI, 10. fructusque diuersos ipsis actionibus, *Matth.* VII, 16. 17. 18. XII, 33. *Ier.* XVII, 10. folia externæ hominum conditioni: arefactionem ac destructionem illarum diuinis in homines iudiciis, *Ies.* XXXIV, 4. *Ezech.* XVII, 9. 10. *Ier.* VIII, 13. XXIX, 17. ac denique christum sæpe iisdem rebus designantibus vsum esse, vt indicaret, quo modo homines erga Deum se gerant, atque eorum sterilitatem spiritualem pariter ac seueram pœnam, quam Deus ab illis repetit, doceret. III.) His addenda est historiarum circumstantiarum consideratio, vbi si ad auctorem miraculi ac facta antecedentia et consequentia, e quibus dispositio animi christi elucet, animum aduertimus, videmus sane, iesum dies, passionem eius proxime antecedentes, in eo fere consumfisse, vt varios: etiam improprios sermones haberet, de regni eius constitutione ac iudicio diuino, quod Iudæis euenturum esset, agentes, ita, vt in vltimo reditu ab vrbe Hierosolymis, cruciatibus, sibi futuris, prædictis, *Matth.* XX, 17. 19. in domo Zachæi parabolam de regno suo constituendo ac hostibus suis puniendis proposuerit, *Luc.* XIX, 22 - 27. Bethania egressus ac, plaudente populo, urbem ingressus, ruinam illius instantem deplorauerit atque annuntiauerit, *Luc.* XIX, 41. - 47. discipulorum ac infantum acclamations contra phariseos defenderit, *Matth.* XXI, 15. 16. vendentes in templo obiurgauerit, v. 13. 14. et die insequenti miraculum ficus patrauerit: deinde denuo indignationem suam, tertiam templi purgationem suscipiendo, testatus sit: per totum diem cum magno synedrii tædio; nec sine eius insidiis *Marc.* XI, 15. - 18. ibi docuerit. Die demum, miraculum
ficus

ficus insequenti, discipulos, ob vim execrationis attonitos, ad fidem excitauit, *Matth.* XXI, 20. 22. *Marc.* XI, 20-27. delegatis confessus summi non solum respondit; sed etiam per parabolas, annexis earum explicationibus, illegitimum illorum contra se agendi modum aperte ante oculos posuit, *Matth.* XXI, 23-32. immo, quæ dixerat, ad eos applicauit, v. 43. ab ipsis bene intellecta, v. 45. Non obstantibus eorum persecutionibus ac infidiis, aliam parabolam similis argumenti addidit, XXII, 1-14. longam de vitiosa pharisæorum viuendi ratione orationem habuit, *Matth.* XXIII. *Marc.* XII. ac adiecto de ruina vrbs vaticinio, *Matth.* XXIII, 37. idem et vrbs et templi excidium sermone, in oliueto prolato, prædixit, annexis parabolis quibusdam, quæ vsum horum vaticiniorum faciliorem redderent, *Matt.* XXIV. *Marc.* XIII. *Luc.* XXI. Ad obiectum personale quod attinet, discipuli eius, quorum gratia hocce a christo edebatur miraculum, adfueti erant symbolica christi et docendi et agendi rationi resque postulabat, vt illis iterum Iudæorum, ciuium immorigerorum, pœna repræsenteretur ac simul peruersæ opinionis, satis firmiter mentibus eorum in hærentis et nuperrime declaratae, *Matth.* XX, 17. de regno christi temporali, inter istos instituendo, confutatio fieret; deinde etiam interpretem omnium optimum actionum eius habebant discipuli, si finem typicum hic non perspexissent, *Marc.* IV, 34. Quodsi occasionem facti, supra notatam, famem scilicet et spem inueniendorum fructuum, non impletam, cum generali et cum singulari hoc tempore animi christi dispositione conferamus, patet, cum istam minime rationem continere potuisse miraculi vindictæ; tum eam ad actionem symbolicam, adfectui isti maxime conuenienter producendam, valuisse. Hæcque quum satis declarant, iesum, præsertim a tempore solemnibus ingressus in vrbs, et tenerrima erga Iudæos misericordia et iustif-

iustif-

iustissima in eos indignatione adfectum ac vtramque verbis ac factis satis testatum fuisse; præterea nullam adesse rationem, cur adfectus istos vel desuisse; vel mutatos esse, adfirmari debeat: immo contrarium adferri posse; porro obiectum personale ac facti occasionem rationem designantem, ad Iudæos spectantem, non solum admittere; sed et postulare, ac denique quoad ipsum hoc factum tam repræsentationes designantes admodum commode locum habere posse; quam momenta, quæ istud constituunt, sterilitatem spiritualem ac diuinam illius pœnam significare; hæc vero momenta, historicæ nimirum circumstantiæ, cum argumento facti collatæ, finem determinant, sequitur, finem huius facti specialem ac primarium in repræsentatione sterilitatis spiritualis gentis Iudæorum, tamquam arboris haud frugiferæ, ac pœnæ, qua Deus istos adfecturus esset, contineri. IV) Certior denique redditur ratio huius facti typica per sacrae scripturae testimonium, licet implicitum; siue argumentum, ex parallelismo finium desumptum, quum præter eas, quæ antea prolatae sunt, rationes, similitudinem scilicet obiecti ac formæ factorum generalem ac emblematicam obiecti in hoc miraculo usum, *Luc. XIII, 6. seqq.* ac *Matth. XXI, 33-41.* facta narrantur, de quibus manifestum est, quod et designantem habeant rationem et cum facto nostro conueniant. Quod si ad rationem memoratorum factorum designantem respicimus, illorum prius, a Luca traditum; nec ratione temporis admodum longe a miraculo ficus remotum, fictum illud est ac repræsentat instantem Iudæorum ruinam ob sterilitatem eorum spiritualem; ob diuinam vero lenitatem et intercessionem seruatoris adhuc nondum factam, quod ex historicarum circumstantiarum cum facto collatione satis patet. Posterius factum, a Matthæo litteris consignatum, itidem fictum est, et quemadmodum eadem rationes; nec non disertum christi effatum

L

tum

tum v. 43. atque narratio euentus v. 45. euincunt, peruersum Iudæorum speciatimque, quos habebant, doctorum cum legatis diuinis ac præcipue cum christo modum agendi atque insecuturam istorum reiectionem ac gentilium reditum in gratiam sistit. Quando spectamus conuenientiam horum factorum cum eo, de quo disputamus, adparet ista cum ratione momentorum historicorum, quæ finem determinant; tum ratione argumenti ipsius facti, vbi determinationes, quæ ista facta efficiunt singularia, similes plane sunt, quod cuique patet, vbi ista inter se conferre velit; eorum omnis autem differentia in eo tantum posita est, quod dictis in locis Lucæ ac Matthæi ea memorentur, quæ vt facta a christo sunt proposita; ista autem, quæ de ficu sunt enarrata, vere contigerint. Quum itaque facta ista vi rationum, finem determinantium, ac argumenti facti, designantem habent rationem ac iudicium, Iudæis imminens, repræsentatur; miraculum ficus vero, de quo ex aliis rationibus, ante iam adductis, adparuit, illud idem designasse, quoad hæc momenta cum istis conuenit, merito concludimus, et hoc, secundum testimonium sacrae scripturae implicitum, eandem rationem designantem habere; seu pro scopo seruatoris pœnam, Iudæis futuram, repræsentare: vaticinium esse reale atque miraculum typicum. Ac quum editis adpareat, christum actionem hanc præcipue eam ob causam suscepisse, vt discipulos de futuris, quæ eos et erudire, et solatium illis adferre possent, instrueret, necesse est, vt typica miraculi huius ratio finem eius specialem ac primarium constituat, inter eos saltem fines, qui nobis noti sunt. Typicum hunc scopum e patribus admiserunt: ORIGENES, HIERONYMVS, AVGVSTINVS et alii, *n)* quos secuti sunt celeberrimi viri recentiores: IO. GERHARDVS, *o)*

PHIL.

n) quorum testimonia profert IO. CHRIST. GOESGENIVS *diff. de ficu maledicta.* *o)* *harmon.* tom. II. cap. 148. p. 235.

PHIL. IAC. SPENERVS, *p*) SALOM. DEYLINGIVS, *q*) IO. CHRIST. WOLFIVS, *r*) HERM. WITSIVS, *s*) CAMPEGIVS VITRINGA *t*) ac alii, qui etiam vberiore typi et antitypi, *u*) momentorum designantium et designatorum instituerunt comparationem. Ad impletionem vaticinii huius realis quod attinet; seu antitypum, breui tempore post christum, mortaliū oculis ereptum, tabem, vt ita dicam, populum hunc corripuisse ac iudicium diuinum contra eum euenisse, facile patebit, si reputare velimus, quod partim per interna diffidia, ad vrbs vsque excidium duranta, semet ipsos ruinae dederint; partim vero a Romanorum imperatorum et Syriæ et Palæstinæ procuratoribus, præsertim Flacco Auilio, Ventidio Cumano, Anton. Claudio Felice, Gesio Floro, Tiberio Alexandro ita vexati fuerint, vt rebellionis pœnam denique luerint, qua Titus eos ita adfecit, vt, innumeris eorum occisis: vrbe ac templo excisis ac republica finita, haud frugifera ista arbor pro arefacta omnino haberi posset, accidentibus deinde sub Traiano et Hadriano nouis eorum pœnis.

§. XXIX.

De aliis seruatoris miraculis, quæ pro typicis habentur,
L 2 nunc

p) in den theologischen Bedencken part. I. p. 13.

q) obseruat. sacr. part. III. p. 220.

r) cur. phil. et crit. ad Marc. XI, 13. Eadem hanc typicam, mysticam saltem, rationem adprobat PRAESES summe venerand. im Leben Iesu, part. III. betracht. 10. p. 321.

s) meletem. Leidens. p. 416.

t) tract. de mirac. christi cap. XIII. p. 242. add. IO. HENR. HEIDEGGERVS loc. cit. §. 42. seqq. RICHARD. KIDDERVS in demonstrat. messiae, quam in GILB. BURNETI Auszug der Boylischen Reden, part. I. p. 158.

cura viri summe vener. BAVMGARTEN translata habemus: BOCHARTVS tom. II. oper. p. 963. et ex Arminianis SIMON. EPISCOPIVS tom. I. oper. part. II. p. 7. et Socinianis IO. LVDOV. WOLZOGENIVS comm. ad Matth. XXI. tom. I. oper. p. 354.

u) quod etiam præstiterunt: THEOD. ANTONIDES declarat. miracul. christi p. 183. seqq. qui liber et Belgice et Germanice prodiit Francofurti cl. MCCXCVI. ac GEORG. MICHAEL LAURENTII in comm. ad Matth. XXI. p. 666. add. D'CVTREIN Gleichniss-Predigten p. 565.

nunc ita a me differendum est, vt, quantum pro modo ser-
 ptionis licet, in id inquiram: num adprobatio rationis eorum
 typicæ sufficientibus nitatur rationibus. Refertur huc mira-
 bilis sane piscium captura, *Luc. V, 4 - 19.* relata, vbi ea,
 quæ v. 8. et 11. narrantur, tamquam facti huius consequen-
 tiæ, declarant, seruatorem in perpetrando hocce miraculo
 duplicem finem sibi proposuisse, cum, vt de diuinis suis
 perfectionibus certissimum ederet documentum; tum vt
 viros, quos discipulos ac *schelichin* destinauerat et antea
 iam solemniter inuitauerat, *Matth. IV, 19. Marc. I. x)* denuo
 ad partes has suscipiendas commoueret. Quando vero
 in finem huius facti specialem inquirimus et consideramus:
 I) quod christus, qui sapientissime symbolicæ et loquendi
 et agendi rationi adsuetus erat, ac id iam agebat, vt mune-
 ri apostolico eos denuo destinaret, rem habuerit cum ho-
 minibus, arti piscatoriæ deditis, eoque facilius sub imagini-
 bus, ab eorum professione desumptis, partes ac euentus mu-
 neris, istis tradendi, clarius exhibere potuerit: II) quod
 inter vtraque, artem piscatoriam videlicet ac munus sacrum,
 intercedere possit nexus significatiuus, ab ipso quoque ser-
 uatore indicatus, *Matth. XIII, 47.* III) quod facta discipulo-
 rum vocatione ista, christus eadem symbolica loquendi ra-
 tione, quum officium eorum designare voluisset, vsus sit,
Matth. IV, 19. IV) denique, quod quum istos, Petrum præ-
 fertim, in rebus suis occupatos inuenisset, munere suo
 fungi iusserit ac quum dubii; ob inexpectatum vero man-
 dati euentum attoniti ac timore percussi essent, vaticinio e-
 rexe-

x) distinguenda enim est hæc inui-
 tatio non solum a facto isto, quo pri-
 mum in seruatoris notitiam venerunt
 discipuli, *Io. I, 40. seqq.* sed et ab illo,
 quo inuitati iesum secuti sunt, *Matth.*
IV, 19. licet deinde ad consuetos suos
 labores redierint. Pluribus id osten-

dit EBERH. DAVID HAUBERVS ob-
 seruat. *harmon. part. III. p. 37. 40.*
 add. LIGHTFOOTVM *harmon. euan-*
gelist. part. III. sect. 19. tom. II. oper.
p. 490. et CLERICVM *harmon. euang.*
p. 87.

rexerit ac prædixerit, eos, Petrum præcipue, homines in posterum capturos esse, *y)* vt indicaret, omne hoc miraculum repræsentationes ingratas producere non debere ac potius ad confirmationem vocationis ad eum sectandum, olim iam factæ, directum esse, ex his omnibus colligendum est, finem specialem huius miraculi tam typum indolis, officiorum ac euentuum muneris, apostolis demandati, fuisse; quam ad Simonem, Ionæ filium, præcipue spectasse. In momenta designantia et designata pluribus inquisiuerunt: LAMPIVS, *z)* VITRINGA, *a)* BELLERSHEIMIVS, *b)* LAVRENTII *c)* atque alii. Vaticinii huius realis impletionis, quoad euentum muneris apostolici felicem, ad Petrum relatæ, exemplum omnino inuenimus *act.* II, 14. 40. vbi narratur, eum tria millia hominum sermone suo sacro ita ad christum adduxisse, vt isti vitam spiritualem reciperent, quemadmodum etiam *act.* II, 4. legimus, per eiusdem apostoli sermonem sacrum insignem cætus christiani accessionem factam esse. Ad mirabilem istam piscium capturam, *Io.* XXI, 6. seqq. relatam atque a multis typice explicatam, quod attinet, nonnulli, qui admittunt typicam rationem, nituntur sententia, nondum probata, quod nimirum reuelationes

L 3

omnes

y) res ipsa enim docet, ex duplici verbi ζωγῆσθαι significatione eam admittendam esse, qua captura indicatur, qua mortis redimitur periculum, quemadmodum id etiam Syrus suadet: conf. FESSELIVS *aduersar. sacr. libr.* V. cap. 5. §. 1. ac LAMPIVS in *prolegom. ad comm. euang. Io. libr. I. cap. 1. §. 11.* qui ad hæc verba Homeri *iliad. Z. v. 46.* prouocat: ζώγῃσι Ἀτρεΐδης υἱέ, οὐδ' ἄξια δέξαι ἄπονα, nec non SVICERVS *thesaur. eccles. tom. I. p. 130.* et WOLFIVS in *cur. ad hunc. loc.*

z) *prolegom. comment. ad euang Ioann. libr. I. cap. 1. §. 11.* vbi de piscium vsitata imagine apud primæuos christianos: nominis illorum æstimatione deque ceteris momentis significationis emblematicæ eorum erudite differit: conf. eum etiam *ad Io. XXI, 11. seqq.*

a) *loc. cit. cap. X.*

b) *exercit. typic. VI. p. 79.*

c) *ad Matth. IV, 19. p. 90.*

omnes seruatoris, post eius resurrectionem factæ, consequenter & hæc, typicæ fuerint; præterea autem typum hic locum habere, solide probari non potest. Ac si etiam idem, ac in captura piscium, ante memorata, admittitur finis typicus, ad munus apostolorum spectans; clarum tamen est, eum ad fines miraculi secundarios pertinuisse. Reliqui enim typici respectus, quos hic statuunt quidam, fundamento firmo carent. *d)*

§. XXX.

Ad miracula typica porro refertur miraculosa maris et ventorum sedatio in mari Tiberiadis a seruatore, per Galilæam iter faciente, patratum, *Matth. VIII, 23. seqq. Marc. IV, 36. seqq. Luc. VIII, 23. seqq.* Vbi consequentia huius

d) quo spectat, præter explicationem VITRINGAE, qui constitutionem regni christi post Diocletianeam persecutionem, tempore Constantini M. repræsentari hic, arbitratur, interpretatio HERM. DEVSINGII, qui statuit, repræsentatum fuisse per factum hoc regnum christi, conditum in imperio Romano; vel eius finibus post persecutiones, ita, vt felicior ecclesiæ status tempore Constantii Chlorig et Constantini M. hæresis Arii; nec non concilium, Nicææ habitum: ecclesiæ deinde factæ a Iuliano et Valente, post breuem sub Iouiano quietem, persecutiones: congregatio postea Constantinopolitana a CL. episcopis, per CLIII. pisces v. 11. designatis, habita etc. indicarentur. Typum hunc, quem ipse finxit, proposuit in *allegor. hist. euangelic. prophetica* p. 443. seqq. postquam christi post resurrectionem manifestatio-

nem, clausis ostiis, domum ingressi, *Io. XX, 19. 29.* de ostio regni gentibus per Pauli ac Petri sermones sacros aperto, explicauerat p. 408. Sed promissis, in præfatione factis, se in eo elaboraturum esse, vt explicatione non coacta; sed se ipsam retexente lectori persuadeat, *historiis noui testamenti subesse prophetias futurorum*, non stetit. Non enim video, quod ad rite probandum finem typicum miraculi huius, vt de eo tantum dicam, *Io. XXI, 6. seqq.* argumenta sufficientia adferat: quin potius et sententia, ante notata, de typica ratione manifestationum seruatoris resuscitati nititur, et ex eo, quod miraculum in mari Tiberiadis factum est, concludit p. 447. manifestationem seruatoris in finibus imperii Romani hic repræsentatam esse. Nec itaque video, quo modo eius interpretatio semetipsam retegat,

huius facti: ἐθαύμασαν, apud *Matth.* v. 27. καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν apud *Marcum* v. 41. declarant, finem istum generalem, & hic intentum a christo, obtentum fuisse et apud discipulos et comites reliquos, *Marc.* IV, 36 quum sic evidens daret documentum, diuinis perfectionibus se præditum esse. e) Quando vero de fine speciali huius miraculi quaestionem instituimus et consideramus primum, christum præcipue ob discipulos præsentis hoc edidisse miraculum, eosque, magna ex parte rei, ad nauigationem spectanti, deditos, sæpius a doctore suo per imagines, ab arte et factis, ipsis bene notis, sumtas eruditos fuisse; deinde breui ante tempus, quo hoc factum euenit, duodecim ex illis muneri apostolico a christo dicitos, *Matth.* VI, 1. *Marc.* III, 13. ac oratione longa de officii eorum partibus; nec non calamitatibus, ipsis euenturis, edoctos esse; porro non longe post factum hoc patratum illos, vt officio suo fungerentur, a iesu ablegatos esse: præterea ex v. 26. haud obscure adparere, seruatores probationem fidei eorum non solum instituere; sed et ipsis claram reddere voluisse, quanta eorum sit in periculis constantia et quosnam hæc fides adhuc attigerit gradus; denique autem partes et momenta istius facti ad designandas res alias, præsertim cætus diuini persecutionem, a Deo permissam; ab ipso vero denique finitam, non solum apta; sed etiam modo hoc iam adhibita esse, f) admodum fit probabile, seruatores per miraculum hoc legatos suos ad felicem muneris functionem præparare voluisse finemque huius facti specialem in eo constituisse, vt apostolis indica-

ret

e) singulare hoc pro diuinitate iesu argumentum, gentilibus ipsis adsentientibus, persecuti sunt: GERARDVS OUTHOVIVS *biblioth. Bremens. fasc. I. class. I. p. 60. 83*: adde ELSNERVM *obséruat. sacr., tom. I. ad hunc locum*

f) qua de re conferri possunt: BURMANNVS *analect. typic. p. 1062.* BOTSACCVS *prompt. allegor. sacr. cap. XX. p. 670* IO VANDEN HONERT *institut. theol. emblematic. cap. IV. §. 2. p. 240.*

ret, futurum esse, vt ecclesia, quam et ipsi apostoli et eorum successores constituere deberent, cum memorabili diuinæ sapientiæ manifestatione, exorta diuersa persecutionum tempestate, vexaretur; in magnum tamen eorum solatium, qui de salute ac liberatione fere desperarent, mirabilem in modum malis exempta, felix redderetur. Quam typicam rationem multi e patribus: AMBROSIVS, ORIGENES, AVGVSTINVS ac reliqui; g) nec non ex recentioribus adprobarunt. Speciatim hic repræsentari Diocletiani persecutionem ac insignem christianorum ab ea liberationem, ob eius maiorem præ ceteris cum miraculo christi conuenientiam statuunt ANTONIDES, h) VITRINGA i) ac IO. GEORG. MICHAELIS. k) Accedit his miraculum, a christo in eodem Tiberiædis mari breui tempore post reditum a legatorum et cibationem populi miraculosam, Bethsaidæ editum ac narratum a *Matthæo* XIV, 25. seqq. *Marc.* VI, 48. seqq. *Io.* VI, 11. seqq. Omnis huius facti miraculosi, iesu scilicet supra vndas ambulationis, saluationis Petri et venti sedationis finem quod attinet,

g) conf. CHRIST. SIGISM. GEORGII *dissert. de diuinitate christi et omnipotentia et omniscientia attributis probata*, ad loca *Matth.* VIII, 1-13. 23-27. XIII, 24-30.

k) *loc. cit.* cap. XIV. p. 160.

i) libro aliquoties iam memorato cap. XI. p. 223.

k) *diss. de sensu spirituali tempestatis maris a christo miraculoso modo sedatæ*, vbi caracteres, quod persecutio Diocletiana potissimum delineata fit, in eo ponit, quia ecclesia feliciori successu ac pace ante illam fruita; vexatione vero subito exorta, in extremum discrimen fuerit deducta, id quod adpareat cum ex intentione afflictio-

rum satis crudeli ac manifesta et ex initio in ipsis terminalibus, præsagii causa facta & ex inscriptionibus in Hispania positis, quas exhibent BARONIVS atque SPANHEMIVS, quum illis nomen christianorum ac superstitionis christi ubique deleta, pronuntiaretur, et ex voto denique Licinii; tum ex modo, quum non solum in omni generis homines; sed et in libros sanctiores scæuitum fuerit, atque ex duratione huius persecutionis, per X. annos integros factæ; sic autem putat, quod christus, durante hac tempestate, dormiuisset, donec precibus excitatus, opem tulerit ac per Constantinum reduxerit tranquillitatem.

tinet, illum conuictionem legitimam de conditione doctoris fuisse, patet: primum ex eo, quia supra probatum est, eundem finem fuisse miraculorum christi generalem: deinde ex necessitate huius conuictionis apud discipulos, *Marc. VI, 45.* de quibus v. 52. dicitur: οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις, miraculo nimirum, antea facto, atque additur: ἦν γὰρ καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη atque indicatur, eos habuisse mentem captam præiudiciis, communibus etiam cum populo, *Io. VI, 15.* Hinc quoque christus, vt suspicionem remoueret ac conuenientiores de se excitaret ideas, eorumque fidem corroboraret, illos ἠνάγκασεν, ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον καὶ προάγειν αὐτὸν εἰς τὸ πέραν, *Matth. XIV, 22.* *Marc. VI, 45.* et nouum edidit admirandum opus. Idem adparet denique ex facti huius consequentia, a Matthæo ita commemorata v. 33. οἱ δὲ ἐν τῷ πλοίῳ, ἐλθόντες προσεκύνησαν etc. Finis vero specialis ac primarius miraculi istius, Petri causa suscepti, quod typice a quibusdam explicatum fuit, in eo constitit, vt partim ipse Petrus doceretur, fidem ad miracula, quale sibi expetierat a Domino v. 28. necessario requiri et quidem satis fortem ac dominantem, id quod alias etiam docuit de fide, sic dicta miraculosa, *Matth. XXI, 21.* *XVII, 17.* *Marc. IX, 19.* *XI, 22.* partim, vt declararet christus et conuinceret Petrum, eum nondum peruenisse ad eiusmodi robur ac gradus fidei. Quare si typicus hic admittitur finis, ille ad secundarios fines referendus est, quem ad id spectasse putant, vt significaretur, quam grauitur Petrus lapsurus esset. Nec desunt rationes, quæ probabilem reddunt finem hunc. Nam præter id, quod probatum est, christum euentus apostolorum sub factis, huic similibus, repræsentare solitum fuisse, Petrus singulari seruatoris amore ac gratia cum aliis quibusdam fruitus est ac peculiarem habuit accessum, *Matth. XVII, 5.* *Luc. VIII, 21.* *Matth. XVII, 24.* *Io. XXI, 15.* seqq. et præclare ac recte de ipso suo doctore sensit, *Matth. XVI, 16.* qui tamen illum ob animi feruorem ac præcipitantiam reprehendit, *Marc. VIII, 33.* *Io. XVIII, 11.*

M

Euen-

Euentus deinde ipsi futuros prædixit etiam verbis, *Luc. V, 10. Io. XXI, 18. 19.* Accedit miraculi huius cum Petri lapsu convenientia. Hic enim quum et in mari apud christum esset et postea eum abnegaret, mentis ardorem, fiduciam, in propriis viribus positam, ac magnam cupiditatem, similia cum seruatore patrandi eumque sequendi, prodidit, *Matth. XIV, 28. coll. XXVI, 33. 35.* ac fidem in christum per aliquod temporis spatium probauit, *v. 29. 30. coll. XXVI, 58.* quum autem perciperet ventum vehementem, timore perculsus, venit in summum submersionis et fidei naufragii, *1 Tim I, 20.* periculum *Matth. XIV, 30. XXVI, 70. 72. 74.* ac licet ab eo reprehensus; subuenit ille tamen etiam ipsi, ita, vt ad meliorem rediret mentem: fidem recuperaret, *Matt. XIV, 31. XXVI, 74.* ac postea omni fide christum sectaretur.

§. XXXI.

Vt in hac tractatione ordinem, antea indicatum, obseruemus, ad tertium idque vltimum illius caput; siue ad enarrationem opinionum, a vero deflectentium, de mystica, inprimis typica miraculorum christi explicatione eorumque finibus accedimus. Quum vero secundum finem sensus mystici, eiusque specierum, sensus ipsarum litterarum sacrarum redditur fecundior sicque vberius declaratur diuina sapientia, patet, eos contra hunc finem egisse, hincque abusum admisisse, qui vel præsentiam sensus mystici e sacris libris aut plane proscripserunt; aut nimium angustis terminis incluserunt; vel hanc præsentiam non tantum adfirmarunt; sed etiam *partim* sine firmis argumentis adprobarunt; *partim* quamcunque inuentam, immo adfectatam similitudinem rerum pro ratione, præsentiam pariter ac explicationem ipsam allegoricam; vel typicam determinante, habuerunt, ac eiusmodi interpretationis prærogatiuam magis in ingenii, in illa adhibiti: immo immoderate imaginationis ostentatione; quam in officiorum, ab interprete obseruandorum, laude posuerunt; *partim* sensum litteralem, si non plane neglexerunt; non satis tamen inue-

inue-

inuestigarunt, qua ratione fecunditas sensus scripturæ sacræ dubia facta et impedita; immo etiam sublata et per consequens abusus sensus mystici admixtus fuit. Ad priorem classem, eorum scilicet, qui in defectu peccarunt, doctores quidam ecclesiastici tertii et quinti sæculi, ut rara exempla illius temporis, referuntur: NEPOS *Aegyptius*, l) THEODORVS *Mopsuestenus*, m) quos recentiori ætate, prout notum est, CALVINVS, GROTIVS, CLERICVS, SPENCERVS aliique secuti sunt. Ad interpretum posterius genus, eorum nimirum, qui modum excedunt, multi antiquioris et recentioris æui pertinent. Hanc enim interpretandi rationem adhibuisse ecclesiæ patres primorum quinque sæculorum, patet ex illorum scriptis, THEOPHILI *Antiocheni*, CLEMENTIS *Alexandrini*, n) ORIGENIS, o) EVSEBII *Cæsariensis*, BASILII M. GREGORIORVM, IOANNIS *Constantinopolitani*, CYRILLI *Alexandrini*, itemque HILARII *Pictauiensis*, AMBROSII, AVGVSTINI aliorumque. Nec sequentibus temporibus usque ad sæculum XIV defuerunt, qui istos non solum fideliter imitarentur; sed et per notas istas *catenas* patrum illorum interpretationes colligerent. Falsæ eiusmodi explanationes ortæ esse videntur cum ex studio sectandi Iudæos, apud quos, præsertim Rabbanitas, p) istæ fuerunt

M 2

vfi.

l) conf. GVIL. CAVEVM *de scriptor. eccles. vol. 1. p. 123.* ac SEB. NANVM TILLEMONTIVM *memoires eccles. vol. IV. ad vitam Dionysii.* Hic enim DIONYSIVS *Alexandrinus* lites istas Arfinoiticas, a Nepote ortas, composuit.

m) conferri possunt, quæ de Theodoro ex LEONTIO attulit atque diiudicavit BVDDVS *isagog. libr. II. cap. 8. p. 1695. seqq.*

n) in libris *ὑποτυπώσεων*, quorum fragmenta exhibet EVSEBIVS, licet ob ea, quæ Photius refert, per alienas manus corrupti esse videantur. Ali-

ter tamen sentit RICH. SIMONIVS *histor. critic. comm. noui test. cap. II. p. 25.*

o) viri huius, admodum pro sæculi sui ratione eruditi; ad hoc tamen extremum pariter ac ad alios errores delapsi, excusationes sistunt: PETRVS HALLOIXIVS in *Origene defenso*, nec non PETR. DAN. HVEIIVS in *Origenianis*: adde BVDDVM *diff. de allegoriis Origenis in parergis hist. theol. p. 183.*

p) pluribus hac de re egit vir sapius laudatus BVDDVS *isagog. libr. II.*

vfitatæ; tum ex mala philosophicorum, Platoniorum præcipue, dogmatum cum christianis doctrinis coniunctione et gnosticorum imitatione; q) præterea autem ex inopia subsidiorum, ad recte explorandum sensum scripturæ litteralem sufficientium, propter quam interpretes generis huius sibi persuaserunt, mysticam explicationem esse faciliorem r) ac iucundiorē: immo plus ad ædificationem conferre. Quibus causis addenda est recepta et inueterata, scripturam mystice explanandi, consuetudo vna cum metu nouarum rerum. s) Inter recentiores, eosque reformatos, præcipue COCCII sectatores, viri alias eruditi, eiusmodi scripturæ ac miraculorum interpretibus merito adnumerantur, quemadmodum de THEODORO ANTONIDE, HERM. DEV-SINGIO, CAMP. VITRINGA, ANT. DRIESSENIO constat ex scriptis eorum de miraculis christi, iam ante adductis, qui si primum atque secundum notati excessus spectetur momentum, non plane excusari possunt.

§. XXXII.

Ad momentum tertium extremi, vltimo loco notati, quod attinet, nullus, quantum scio, ad id delapsus est, præter THOMAM WOOLSTONVM, t) qui adseruit, mystice omnino explicari debere narrationes de miraculis seruatoris; ita tamen, vt omnis earum sensus litteralis excludatur, u) cui

II. cap. 8. p. 1648. adde IO. SPENCERVM de legibus Hebræor. ritual. libr. I. cap. XI. p. 289.

q) de his ita pronuntiat RICH. SIMONIVS *hist. critique des comment. du nouveau test* p. 25 *sous pretexte de ne rien dire, que de sublime, ils n'entendoient pas souuaint, eux memes le iargon qu'ils auoient forge et qu'il n'auoit pour b'ordinaire d'autre fondement, que leur imagination.*

r) confirmatur hoc ipsius AVGVSTINI confessione libr. I. retract. cap. 18. tom. I. oper. p. 20. Pertinet huc quoque DAN. WHITBY *dissert. de sacr. script. interpretat. secundum patrum commentar.* vbi probat, quod patres non fuerint semper idonei facere scripturæ interpretes. De quo libello confer, IO. CLERICI *libroth.*

anc. et modern. tom. VI. part. I. art. 3. p. 128.

s) confer, quæ differit hanc in rem BERNHARD. DE MONTFAUCONII *prælim. in Eusebii comm. in psalm. cap. II. p. 4. cap. IV. p. 9. 10.*

t) in eius *discourses on the miracles of our saviour in View of the present controversy between infidels and Apostates*, quorum sex ab anno 1610 CCXXVI. vsque XXIIX. editi sunt.

u) protulit hanc in rem ipsius WOOLSTONI verba cel. CHRIST. GOTTL. IOECHERVS *diss. de Thoma Woolstoni de mirac. christi paralogismis.* p. 31. ex eius confessione fidei hæc refert *believe upon the authority of the Fathers, that the miracles of Iesus, as they are recorded by the evangelists, literally vnderstood are the lying Wonders of Antichrist.* Deinde ex *disquisit. I. p. 3. some of the miracles of Iesus are only related as prophetic and parabolical Narratives of what will be mystic*

cui admodum infensus est *x*) hincque miracula ipsa vere esse perpetrata, negat, et si etiam id concedat, fraudibus tamen ista adnumeranda esse, putat. *y*) Sed vltimo in casu male certe sententiæ suæ consulisset, si fraudes atque præstigiæ, ab euangelistis narratæ, mysticæ essent ac adumbrare debuissent, quæ seruator hominibus præstiturus esset. Ipsam eius sententiam fusius refutare nec licet; nec opus est, quia partim viri celeberrimi id iam præstiterunt; partim nullis, quæ vel speciem habeant, nititur argumentis. Sane aperte pugnat contra effata christi: ad auctoritatem patrum admodum peruerse prouocat, ac allegoariarum adplicatio, quam tanti facit, suis merito circumscribitur limitibus ac regulis, quarum vsus ab homine, qui rationis hostem se præbet, postulari non potest. Præterea etiam ipsius sensus mystici notio repugnat ipsaque eius sententia origo est absurditatum infinitarum, quas præcipue ei monstrauit cel. EDMUND. GIBSONVS. *z*) Verum sui moliminis scopum ipse haud obscure indicauit, se scilicet voluisse stabilire atque reducere naturalem religionem, infracta nimirum auctoritate reuelationis prioris, in scriptura sacra, per suas allegorias. *a*) Sic haud dissimilem se præbuit COLLINO ac SPINOZAM interpretem secutus est. *b*) Plura qui scire cupit, adeat vener. CHRISTOPH. WOLLIVM, *c*) RICH. SMALBROKE, THOM. SEATONVM, WILL. TILLY, THOM. RAY, GEORG. WADE aliosque. *d*)

Hæc sufficiant pro modo dissertationis academicæ, mihi præscripto, per quem non licuit et de aliorum christi miraculorum mystica typicaque ratione, quem admodum animus erat, differere. Sit satis, per ea, quæ proposui, in mentem nobis reuocatum esse, quantum et reuelationis diuinæ auctoritati et saluatoris optimi sapientiæ, factis eius demonstratæ, debeamus, cuius semper honos, nomen laudesque manebunt.

mysteriously and more wonderfully done by him ibid. p. 59. *Neither the Fathers, nor the Apostles, nor euen Iesus himself, meant that his miracles, as recorded in the euangelists, should be taken in a literal sense, but in a mystical, figuratiue and parabolical one.*

x) calumniarum harum collectionem habes in *diff.* viri laudati IOECHERI p. 42. n. p.

y) tria hæc sunt momenta, ad quæ laborem istum male compositum reduci posse, refert cel. IOECHERVS *loc. cit.* p. 29.

z) in a *pastoral letter to the people of his diocese etc.* quam etiam, Germanice conuersam, addidit clariss. RAMBACHIVS libro RICH. BENTLEII *von der Freiheit zu denken*, COLLINO opposito.

a) *disquisit.* 6. p. 28. *to reduce the world,*

when it should be ripe for it, to the golden religion of nature, etc. Allegat verba hæc IOECHERVS p. 48. not. t.

b) *tract. theol. polit.* id quod obseruatum est et a celeb. IOECHERO *loc. cit.* p. 33. qui etiam de ciuibus Woolstoni, hac in re ipsi similibus, GVIL. ALABASTRO ac THOM. BURNETO agit, p. 56. 57. et ab auctore libri: *voyages littéraires etc.* p. 144.

c) *sched. de Iesu spirit. in Anglia rediu.* add. CHRIST. MUNDENII *diff. de mirac. christi contra Woolstonum.*

d) recensent libros hos atque plures addunt summe ven. PRAESES in der *Einleitung in die Religions-Streitigkeiten auffer unserer Kirche part. III. cap. 4.* p. 1020. laudatus sæpe IOECHERVS *loc. cit.* atque *cap. I.* p. 13. seqq.



VIRO
MAXIME REVERENDO ATQVE AMPLISSIMO
HENRICO THEOPHIL. NAZZIO
MINISTRO SENIORI SACRORVM LVTHERANORVM APVD
PETROBVRGENSES MERITISSIMO

S. P. D.

IO. GEORG. WALCHIVS.

QVI ex Halensi academia ad nostrum musarum domicilium venit, filius tuus doctissimus insignem diligentiam in acquirendis litterarum ornamentis collocavit; nec frequentavit modo præceptorum scholas assidue; sed sectatus etiam est morum probitatem, ita ut boni civis laudem iure suo consequeretur. Postquam præclarum ingenium suum sapientiæ humanæ ac linguarum litteris excoluit, diuini operam suam consecrauit atque adhibuit omnes suas cogitationes ad id, ut caperet solide illius dogmata ac compararet sibi facultatem, recta ratione alius ista tradendi atque accurate de illis disceptandi. Feliciter eum in hoc studiorum cursu esse progressum, abunde comprobant philosophiæ præiulia, quibus apud nos exornatus fuit, idemque testatur commentatio, quam in publicam lucem iam emittit. Ipse enim argumentum ita enarrauit, ut omnis laus, qua omnino dignus est, ad eum, verum auctorem, redundet. Siue ad res ipsas, quas edisseruit; siue ad tractandi ordinem et modum, quem sectatus est; siue ad scribendi genus, quod formavit, respiciam, nihil mihi tribuere possum; omnia vero ab eo profecta esse, ingenue confiteor. Amplissimam ergo habes materiam, de filio tuo, ingenii præstantia ac virtutis laude conspicuo, lætandi ac cælestem benignitatem pie venerandi, qua factum est, ut precibus, pro salute filii factis, ac consiliis tuis saluberrimis fortunatus exitus responderet. Omnes sane, qui tibi bene cupiunt, veniunt in partes gratulandi; mihi autem præcipue illas vindico testorque gaudium de filii tui felicitate, quum istum fidei meæ tradidisti et ipse virtutum, quarum laude splendet, singularis fui spectator. Sistat te, Vir venerande, immortalis deus per longum spatium saluum et corporis mentisque viribus constanter florentem, ut de re christiana atque euangelica porro, quemadmodum adhuc fecisti, doctrina pariter ac vita tua sanctiore bene mereri atque operæ, quam in filii educatione posuisti, vberiores fructus capere queas. Vale in domino. Ienæ d. xxviii, apr. anno christiano MDCCXLVII.



III Coll. diss. A. 127, Tisch. 6